


B
70
A
19

ET CONSTITUTIONES

BX
7045
A2
19 09a



a. u. D. Ambrosii Buisseret. o. s. B.
Belmont.

BX

7045

A2

1909a

REGULA S. PATRIS
BENEDICTI : CUM DE-
CLARATIONIBUS ET CONSTITUTIO-
NIBUS CONGREGATIONIS ANGLIAE
MONACHORUM NIGRORUM SANCTI
BENEDICTI A S. SEDE APPROBATAE :
SUBIUNGUNTUR DIRECTORIUM ET
FORMULARIUM

TYPIS ABBATIAE S. MARIAE DE CONSOLATIONE
APUD STANBROOK
MDCCCXCIX

1909

REGULA S. PATRIS
BENEDICTI : QUI DE
CLAUSTRUM ET CONSTITUTIONE
MIRIS CONSERVATIONIS ANIMAE
MONACHORUM FERROVIA S. PATRIS
BENEDICTI A S. P. DE APPONATI
S. BENEDICTI PRÆTORIO ET
FORMULARII



IN VESTIBULO REGIAE DE GONNO ALTORE
ANNO 1780
S. BENEDECTI

L 5510
7 Jan 52
Fr. Louis Baska, OSB

In hoc volumine continentur:

PROOEMIUM	vii
S. REGULA CUM DECLARATIONIBUS DE DISCIPLINA MONASTICA	i
CONSTITUTIONES DE REGIMINE	145
ATTESTATIO ET DECRETUM	167
DIRECTORIUM	173
FORMULARIUM	213
EXCERPTA EX BULLARIO	239
INDEX RERUM	251
CONSPECTUS CAPITUM	285
PRECES AD CONCILIUM SENIORUM	292

In hoc volumine continentur:

1	Præfatio
2	De rebus in hoc volumine tractatis
3	De rebus in hoc volumine tractatis
4	De rebus in hoc volumine tractatis
5	De rebus in hoc volumine tractatis
6	De rebus in hoc volumine tractatis
7	De rebus in hoc volumine tractatis
8	De rebus in hoc volumine tractatis
9	De rebus in hoc volumine tractatis
10	De rebus in hoc volumine tractatis
11	De rebus in hoc volumine tractatis
12	De rebus in hoc volumine tractatis
13	De rebus in hoc volumine tractatis
14	De rebus in hoc volumine tractatis
15	De rebus in hoc volumine tractatis
16	De rebus in hoc volumine tractatis
17	De rebus in hoc volumine tractatis
18	De rebus in hoc volumine tractatis
19	De rebus in hoc volumine tractatis
20	De rebus in hoc volumine tractatis

PROOEMIUM

Congregatio Angliae Monachorum Ordinis Sancti Benedicti in acerbissimo illo et perquam calamitoso patriae a Catholica fide dissidio, per singulare Dei providentis subsidium servata et a Paulo V feliciter instaurata, 'eadem omnino habenda est ac illa' dicit SS. D. N. Leo XIII (*Religiosus Ordo*) quae saeculo XIII initium sumpsit et a Benedicto XII, Constitutione *Summi Magistri*, erecta est; eodemque insuper intendunt sodales Congregationis ac illi monachi qui, S. Gregorio Magno auctore, Divo Augustino duce, primi 'ad Christianam Anglorum institutionem' Roma venerunt: 'siquidem quod veteres in eos fecere, ab ethnica ignominia et superstitione deducendo, hoc novi facere insistunt, ad Catholicam fidem reducendo.'


Eum ad finem Summi Pontifices saeculo decimo septimo Congregationem nostram privilegio et facultate missionis decorarunt; et nuperrime SS. D. N. Leo XIII, cum benigne nos de operibus statui nostro monastico convenientibus instruxit, de norma quoque in hoc labore apostolico sequenda tractare non omisit. Quo in labore ut 'fructus proferantur vere salutare, opus est non ministerio tantum monachorum, sed multo magis exemplis eorum sanctissimis, quae mirifice possunt ad veritatem

persuadendam': Congregatio enim eo magis auctoritate foris valebit, 'quo Monasteriis praesidia institutionis accreverint et lux domesticae perfectionis praestiterit.' Ante omnia igitur fovendus et summa cum diligentia amplectendus est spiritus religiosus sive monasticus quem Prologus et tot S. Regulae capita mirum in modum tanquam per speculum proponunt. Qui quidem spiritus cum sit summa vitae monasticae, omnia quae de eo Patriarcha praescipsit ad verbum observanda sunt, ita ut Congregationi nostrae, licet nonnulla quoad exterioris vitae formam immutata fuerint, nihil huius spiritus desit.

Gravissima quoque verba sapientissimi et gloriosi Pontificis maxime ponderanda sunt declarantis normas et leges quibus Ordo dirigitur ex vi et natura eius esse petendas; eisdem vero legibus vitam actuosam obsequi et servire debere, nequaquam contra, quod praepostere fuerit. 'Vis etenim et natura Congregationis, quam esse usquequaque monasticam, et regulae ipsae et constitutiones et annales declarant, hoc suo vult iure ut qui Monasteriis plena cum potestate praesint, iidem Congregationem omnibus partibus cum potestate regant et moderentur.'

In Constitutionibus autem a Summo Pontifice Paulo V anno 1619 approbatis, nonnulla inveniuntur pro temporum quidem conditione sapienter instituta, quae tamen cum disciplina Ordinis ubique vigente vix concordant. Haec nunc, 'immutatis hodie in Anglia rei sacrae civilisque conditionibus', SS. Pontifex Leo XIII tollere decrevit. Dum enim

ex una parte demonstrat quam late pateat campus in quo opus apostolicum monachorum Benedictinorum in christiana Anglorum institutione exerceri potest; ex altera, 'quaevis praescripta cum Sacri Patris legiferi Benedicti disciplina minus congruentia, quae necessitas quaedam per impedita tempora adiecisset, demi atque abrogari' iubet. Haec igitur recensio Constitutionum non est novae regulae introductio sed veteris instauratio, ut venerabilis sodalitas nostra 'laetioribus in dies augeatur fructibus urbanitatis omnis maximeque religionis, a qua olim longa per saecula commemorabilem sanctitatis laudem in Ecclesiae fastis obtinuit.'



PARS PRIMA

REGULA S. P. N. BENEDICTI
CUM
DECLARATIONIBUS DE DISCIPLINA MONASTICA

PROLOGUS IN REGULAM

¹ Jan. AUSCULTA, o fili, praecepta magistri, et in-
² Maii clina aurem cordis tui et admonitionem pii
¹ Sept. patris libenter excipe et efficaciter comple; ut
ad eum per obedientiae laborem redeas, a quo per
inobedientiae desidiam recesseras. Ad te ergo nunc
mihi sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis
voluntatibus, Domino Christo vero Regi militaturus,
obedientiae fortissima atque praeclara arma
sumis.

In primis, ut quidquid agendum inchoas bonum,
ab eo perfici instantissima oratione deposcas; ut, qui
nos iam in filiorum dignatus est numero computare,
non debeat aliquando de malis actibus nostris contri-
stari. Ita enim ei omni tempore de bonis suis in
nobis parendum est, ut non solum iratus pater suos
non aliquando filios exheredet, sed nec ut metuen-
dus dominus, irritatus malis nostris, ut nequissimos
servos perpetuam tradat ad poenam qui eum sequi
noluerint ad gloriam.

Exsurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos Scriptura ac dicente: *Hora est iam nos de somno surgere.*^a Et apertis oculis nostris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus divina quotidie clamans quid nos admoneat vox dicens: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.*^b Et iterum: *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.*^c Et quid dicit? *Venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos.*^d *Currite dum lumen vitae habetis, ne tenebrae mortis vos comprehendant.*^e

Et quaerens Dominus in multitudine populi cui haec clamat operarium suum, iterum dicit: *Quis est homo qui vult vitam, et cupit videre dies bonos?*^f Quod si tu audiens respondeas: Ego; dicit tibi Deus: Si vis habere veram et perpetuam vitam, *prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Deverte a malo et fac bonum; inquire pacem et sequere eam.*^g Et cum haec feceritis, oculi mei super vos et aures meae ad preces vestras; et antequam me invocetis, dicam vobis: *Ecce adsum.*^h Quid dulcius nobis hac voce Domini invitantis nos, fratres carissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitae.

Succinctis ergo fide vel observantia bonorum actuum lumbis nostris, per ducatum Evangelii pergamus itinera eius, ut mereamur eum qui nos vocavit in regnum suum videre. In cuius regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus curritur minime pervenitur. Sed interrogemus cum propheta Dominum, dicentes ei: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in*

^a Rom. xiii. 11.^b Psalm. xciv. 8.^c Apoc. ii. 7.^d Psalm. xxxiii. 12.^e Joan. xii. 35.^f Psalm. xxxiii. 13.^g *Ibid.* 14, 15.^h Is. lviii. 9.

monte sancto tuo?^a Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem et ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi, dicens: *Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam; qui loquitur veritatem in corde suo; qui non egit dolum in lingua sua; qui non fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximum suum.*^b Qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi cum ipsa suasionem sua a conspectibus cordis sui respuens, deduxit ad nihilum, et parvulos cogitatus eius tenuit, et allisit ad Christum. Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona non a se posse, sed a Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*^c Sicut nec Paulus Apostolus de praedicatione sua sibi aliquid imputavit dicens: *Gratia Dei sum id quod sum.*^d Et iterum ipse dicit: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.*^e

Unde et Dominus in Evangelio ait: *Qui audit verba mea haec et facit ea, similabo eum viro sapienti qui aedificavit domum suam supra petram: venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et non cecidit, quia fundata erat supra petram.*^f Haec complens Dominus exspectat nos quotidie his suis sanctis monitis factis nos respondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum huius vitae dies ad inducias relaxantur, dicente Apostolo: *An nescis, quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit?*^g Nam pius Dominus dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed convertatur et vivat.*^h

^a Psalm. xiv. 1.^b Ibid. 2, 3.^c Psalm. cxiii. 1.^d 1 Cor. xv. 10.^e 2 Cor. x. 17.^f Matth. vii. 24, seq.^g Rom. ii. 4.^h Ezech. xxxiii. 11.

6 Jan. Cum ergo interrogassemus Dominum, fra-
 7 Maii tres, de habitatore tabernaculi eius, audivimus
 6 Sept. habitandi praeceptum: sed si compleamus
 habitatoris officium! Ergo praeparanda sunt corda
 et corpora nostra sanctae praeceptorum obedientiae
 militanda. Et quod minus habet in nobis natura
 possibile, rogemus Dominum ut gratiae suae iubeat
 nobis adiutorium ministrare. Et si fugientes gehen-
 nae poenas ad vitam volumus pervenire perpetuam,
 dum adhuc vacat et in hoc corpore sumus, et haec
 omnia per hanc lucis viam vacat implere, currendum
 et agendum est modo quod in perpetuum nobis
 expediat.

7 Jan. Constituenda est ergo nobis dominici schola
 8 Maii servitii; in qua institutione nihil asperum
 7 Sept. nihil grave nos constituturos speramus. Sed
 et si quid paululum restrictius, dictante aequitatis
 ratione, propter emendationem vitiorum vel conser-
 vationem caritatis processerit, non illico pavore
 perterritus refugias viam salutis, quae non est nisi
 angusto initio incipienda. Processu vero conversa-
 tionis et fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis
 dulcedine curritur via mandatorum Dei; ut ab
 ipsius nunquam magisterio discedentes, in eius doc-
 trina usque ad mortem in monasterio perseverantes,
 passionibus Christi per patientiam participemus, ut
 et regni eius mereamur esse consortes. Amen.

INCIPIT REGULA

CAPUT I

DE GENERIBUS MONACHORUM

^{8 Jan.} ^{9 Maii} ^{8 Sept.} MONACHORUM quatuor esse genera manifestum est. Primum coenobitarum, hoc est monasteriale,¹ militans sub regula vel abbate. Deinde secundum genus est anachoretarum, id est eremitarum, horum qui non conversationis fervore novitio sed monasterii probatione diuturna, didicerunt contra diabolum multorum solatio iam docti pugnare; et bene exstructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi securi iam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio, contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt.

^{9 Jan.} ^{10 Maii} ^{9 Sept.} Tertium vero monachorum teterrimum genus est sarabaitarum, qui nulla regula approbati, experientia magistra, sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus servantes saeculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini aut terni aut certe singuli sine pastore, non dominicis sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas: cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, et quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum vero genus est monachorum quod nominatur gyrovagum, qui tota vita

sua per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur, semper vagi et nunquam stabiles, et propriis voluptatibus et gulae illecebris servientes, et per omnia deteriores sarabaitis. De quorum omnium horum miserrima conversatione melius est silere quam loqui.

His ergo omissis, ad coenobitarum fortissimum genus disponendum adiuvante Domino veniamus.

Declaratio. 'Coenobitarum, hoc est monasteriale'.

—1. De facultate et exemptione a vita coenobitica operi Apostolico necessaria declaratur in Prooemio, et in Declarationibus 80, 81, III.

CAPUT II

QUALIS DEBEAT ABBAS ESSE

¹⁰ Jan. ABBAS qui praeesse dignus est monasterio,
¹¹ Maii semper meminisse debet quod dicitur, et
¹⁰ Sept. nomen maioris factis implere. Christi enim
agere vices in monasterio creditur, quando ipsius
vocatur praenomine, dicente Apostolo: *Accepistis
spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba,
Pater.*^a Ideoque abbas nihil extra praeceptum Do-
mini quod sit debet aut docere aut constituere vel
iubere: sed iussio eius vel doctrina fermentum
divinae iustitiae in discipulorum mentibus consper-
gatur, memor semper abbas, quia doctrinae suae vel
discipulorum obedientiae, utrarumque rerum in
tremendo iudicio Dei facienda erit discussio; sciat-
que abbas, culpa pastoris incumbere, quidquid in
ovibus paterfamilias utilitatis minus potuerit in-
venire. Tantundem iterum erit, ut si inquieto vel
inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia
attributa, et morbidis earum actibus universa fuerit
cura exhibita, pastor earum in iudicio Domini abso-
lutus, dicat cum Propheta Domino: *Iustitiam tuam
non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare
tuum dixi:*^b *ipsi autem contemnentes spreverunt me.*^c
Et tunc demum inobedientibus curae suae ovibus
poena sit eis praevalens ipsa mors.

^a Rom. viii. 15.

^b Psalm. xxxix. 11.

^c Is. i. 2.

^{11 Jan.} Ergo cum aliquis suscipit nomen abbatis,
^{12 Maii} duplici debet doctrina suis praeesse discipulis;
^{11 Sept.} id est, omnia bona et sancta factis amplius
 quam verbis ostendat, ut capacibus discipulis man-
 data Domini verbis proponat, duris vero corde et
 simplicioribus, factis suis divina praecepta monstret.
 Omnia vero quae discipulis docuerit esse contraria,
 in suis factis indicet non agenda, ne aliis praedicans
 ipse reprobus inveniatur; ne quando illi dicat Deus
 peccanti: *Quare tu enarras iustitias meas et assumis
 testamentum meum per os tuum? tu vero odisti discipli-
 nam, et proiecisti sermones meos post te.*^a Et, *Qui in
 fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non
 vidisti.*^b

^{12 Jan.} Non ab eo persona in monasterio discernatur.
^{13 Maii} Non unus plus ametur quam alius, nisi quem
^{12 Sept.} in bonis actibus aut obedientia invenerit me-
 liorem. Non convertenti ex servitio praeponatur in-
 genuus, nisi alia rationabilis causa existat: quod
 si ita, iustitia dictante, abbati visum fuerit, et de
 cuiuslibet ordine id faciat; sin alias, propria teneant
 loca; quia sive servus sive liber, omnes in Christo
 unum sumus, et sub uno Domino aequalem servi-
 tutis militiam baiulamus: *Quia non est apud Deum
 personarum acceptio.*^c Solummodo in hac parte apud
 ipsum discernimur, si meliores aliis in operibus bo-
 nis et humiles inveniamur. Ergo aequalis sit ab eo
 omnibus caritas; una praebeatur omnibus secun-
 dum merita disciplina.

^a Psalm. xlix. 16, 17.

^b Matth. vii. 3.

^c Rom. ii. 11.

¹³ Jan. In doctrina sua namque abbas apostolicam
¹⁴ Maii debet illam semper formam servare, in qua
¹³ Sept. dicitur: *Argue, obsecra, increpa:*^a id est, mi-
 scens temporibus tempora, terroribus blandimenta,
 dirum magistri, pium patris ostendat affectum: id
 est, indisciplinatos et inquietos debet durius argu-
 ere, obedientes autem et mites et patientes ut in
 melius proficiant obsecrare; negligentes autem et
 contemnentes ut increpet et corripiat, admonemus.
 Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox
 ut coeperint oriri radicitus ea ut praevalet amputet,
 memor periculi Heli sacerdotis de Silo. Et honestio-
 res quidem atque intelligibiles animos prima vel
 secunda admonitione verbis corripiat; improbos au-
 tem et duros, ac superbos, vel inobedientes, verbe-
 rum vel corporis castigatione in ipso initio peccati
 coerceat, sciens scriptum: *Stultus verbis non corrigi-*
tur.^b Et iterum: *Percute filium tuum virga, et liberabis*
animam eius a morte.^c

¹⁴ Jan. Meminisse debet semper abbas quod est,
¹⁵ Maii meminisse quod dicitur, et scire quia cui plus
¹⁴ Sept. committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque
 quam difficilem et arduam rem suscipit, regere ani-
 mas et multorum servire moribus. Et alium quidem
 blandimentis, alium vero increpationibus, alium
 suasionibus, et secundum uniuscuiusque qualitatem
 vel intelligentiam, ita se omnibus conformet et
 aptet, ut non solum detrimenta gregis sibi com-
 missi non patiat, verum in augmentatione boni
 gregis gaudeat.

^a 2 Tim. iv. 2.

^b Prov. xxix. 19.

^c *Ibid.* xxiii. 14.

¹⁵ Jan. Ante omnia, ne dissimulans aut parvipen-
¹⁶ Maii dens salutem animarum sibi commissarum,
¹⁵ Sept. plus gerat sollicitudinem de rebus transito-
 riis et terrenis atque caducis; sed semper cogitet
 quia animas suscepit regendas, de quibus et rationem
 redditurus est. Et ne causetur de minore forte sub-
 stantia, meminerit scriptum: *Primum quaerite regnum*
Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis.^a
 Et iterum: *Nihil deest timentibus eum.*^b Sciatque quia
 qui suscipit animas regendas, paret se ad rationem
 reddendam. Et quantum sub cura sua fratrum se
 habere scierit numerum, agnoscat pro certo quia in
 die iudicii ipsarum omnium animarum est reddi-
 turus Domino rationem, sine dubio addita et suae
 animae. Et ita timens semper futuram discussionem
 Pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratioci-
 niis cavet, redditur de suis sollicitus; et cum de
 monitionibus suis emendationem aliis subministrat,
 ipse efficitur a vitiis emendatus.

^a Matth. vi. 33.

^b Psalm. xxxiii. 10.

CAPUT III

DE ADHIBENDIS AD CONSILIUM FRATRIBUS

^{16 Jan.}
^{17 Maii}
^{16 Sept.} QUOTIES aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem,² et dicat ipse unde agitur. Et audiens consilium fratrum tractet apud se, et quod utilius iudicaverit faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus, quia saepe iuniori Dominus revelat quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectioe, et non praesumant procaciter defendere quod eis visum fuerit, et magis in abbatis pendeat arbitrio, ut quod salubrius esse iudicaverit, ei cuncti obediant: sed sicut discipulos convenit obedire magistro, ita et ipsum provide et iuste condecet cuncta disponere.

^{17 Jan.}
^{18 Maii}
^{17 Sept.} In omnibus igitur omnes magistrum sequantur Regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam. Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem; neque praesumat quisquam cum abbate suo proterve aut foris monasterium contendere. Quod si praesumpserit, regulari disciplinae subiaceat. Ipse tamen abbas cum timore Dei et observatione Regulae omnia faciat, sciens se procul dubio de omnibus iudiciis suis aequissimo iudici Deo rationem redditurum. Si qua vero minora agenda sunt in monasterii utilitatibus, seniorum

tantum utatur consilio,³ sicut scriptum est: *Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis.*^a

Declaratio. 'Convocet abbas omnem congregationem'.

—2. De communi conventus capitulo, vide secundam Partem [Cap. VI]. Vehementer singulos monachos qui ad capitulum vocati fuerint rogamus ut praeceptum SS. P. Benedicti hoc capite graviter insinuatam, in cordibus suis defixum habeant, ut nemo audeat opinionem suam proterve obtrudere, aut quidquam dicere quod aut reverentiam Superioribus debitam aut caritatem fraternam laedere possit. Convocantur fratres non solum ad negotia tractanda, sed 'ut membra suo capiti consonent et caput respiciat sua membra' (*Summi Magistri*). Capitulum enim est conservatio ordinis, incrementum disciplinae regularis, adunatioque unitatis. Mutua in caritate notitia ibidem concipitur, quae quantum ad amorem regularis observantiae conducatur, experientia demonstratur. Ibi caritas fraterna et conservatur et augetur, quae alioquin cito tepesceret si fomentum agnitionis mutuae non haberet.

Declaratio. 'Seniorum tantum utatur consilio.'

—3. De Concilio seniorum vide secundam Partem (Cap. VII).

^a Ecclus. xxxii. 24.

CAPUT IV

QUAE SUNT INSTRUMENTA BONORUM OPERUM

18 Jan. IN primis, Dominum Deum diligere ex toto
19 Maii corde, tota anima, tota virtute.

18 Sept. Deinde proximum tamquam seipsum.

Deinde non occidere.

Non adulterari.

Non facere furtum.

Non concupiscere.

Non falsum testimonium dicere.

Honorare omnes homines.

Et quod sibi quis fieri non vult, alii ne faciat.

Abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum.

Corpus castigare.

Delicias non amplecti.

Ieiunium amare.

Pauperes recreare.

Nudum vestire.

Infirmum visitare.

Mortuum sepelire.

In tribulatione subvenire.

Dolentem consolari.

Saeculi actibus se facere alienum.

Nihil amoris Christi praeponere.

19 Jan. Iram non perficere.

20 Maii Iracundiae tempus non reservare.

19 Sept. Dolum in corde non tenere.

Pacem falsam non dare.

- Caritatem non derelinquere.
 Non iurare, ne forte periuret.
 Veritatem ex corde et ore proferre.
 Malum pro malo non reddere.
 Iniuriam non facere, sed et factas patienter sufferre.
 Inimicos diligere.
 Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere.
 Persecutionem pro iustitia sustinere.
 Non esse superbum.
 Non vinolentum.
 Non multum edacem.
 Non somnolentum.
 Non pigrum.
 Non murmuriosum.
 Non detractorem.
 Spem suam Deo committere.
 Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet non sibi.
 Malum vero semper a se factum sciat, et sibi reputet.
 Diem iudicii timere.
 20 Jan. Gehennam expavescere.
 21 Maii
 20 Sept. Vitam aeternam omni concupiscentia spiritali desiderare.
 Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.
 Actus vitae suae omni hora custodire.
 In omni loco Deum se respicere pro certo scire.
 Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, et seniori spiritali patefacere.
 Os suum a malo vel pravo eloquio custodire.
 Multum loqui non amare.
 Verba vana aut risui apta non loqui.

Risum multum aut excussum non amare.

Lectiones sanctas libenter audire.

Orationi frequenter incumbere.

Mala sua praeterita cum lacrimis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri.

De ipsis malis de cetero emendare.

Desideria carnis non efficere.

Voluntatem propriam odire.

Praeceptis abbatis in omnibus obedire, etiam si ipse aliter, quod absit, agat, memores illud dominicum praeceptum: *Quae dicunt facite, quae autem faciunt facere nolite.*^a

Non velle dici sanctum antequam sit, sed prius esse quod verius dicatur.

²¹ Jan. Praecepta Dei factis quotidie adimplere.

²² Maii Castitatem amare.

²¹ Sept. Nullum odire.

Zelum non habere.

Invidiam non exercere.

Contentionem non amare.

Elationem fugere.

Et seniores venerare.

Iuniores diligere.

In Christi amore pro inimicis orare.

Cum discordante ante solis occasum in pacem redire.

Et de Dei misericordia nunquam desperare.

Ecce haec sunt instrumenta artis spiritalis:⁴ quae cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta et in die iudicii reassignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur, quam ipse promisit: *Quod oculus non vidit nec auris audivit, quae*

^a Matth. xxiii. 3.

praeparavit Deus his qui diligunt illum.^a *Officina vero,*^s
ubi haec omnia diligenter operemur, claustra sunt
monasterii et stabilitas in congregatione.

Declaratio. 'Haec sunt instrumenta artis spiritalis.'

—4. Has doctrinae Evangelicae veritates, et eas quae in capite
vii, 'De Humilitate' continentur, SS. Pater clare et distincte
veluti 'instrumenta' vitae spiritalis nobis proponit. Saepe ergo
hoc S. Regulae caput omnibus est legendum ac meditandum, ut
praecepta hic inculcata semper sint nobis norma vitae nostrae.
Maxime meminerint patres qui inter missionum labores degunt
ut his instrumentis assidue sese exercentes artis monasticae
periti evadant.

Declaratio. 'Officina vero.'

—5. Ad mentem Ecclesiae labor monachorum hodie potissimum
in studiis exercetur. Nullum autem opus, sive intellectuale sive
manuale, monacho alienum esse potest quod religionis scopo et
monastici Ordinis principiis congruat.

^a 1 Cor. ii. 9.

CAPUT V

DE OBEDIENTIA

22 Jan. PRIMUS humilitatis gradus est obedientia sine
23 Maii mora.⁶ Haec convenit his qui nihil sibi Chri-
22 Sept. sto carius aliquid existimant, propter sanctum
servitium quod professi sunt, seu propter metum
gehennae, vel gloriam vitae aeternae, mox aliquid
imperatum a maiore fuerit, ac si divinitus imperetur,
moram pati nesciunt in faciendo. De quibus Domi-
nus dicit: *Obauditu auris obedivit mihi.*^a Et item
dicit doctoribus: *Qui vos audit me audit.*^b

Ergo hi tales relinquentes statim quae sua sunt et
voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis
manibus, et quod agebant imperfectum relinquen-
tes, vicino obedientiae pede iubentis vocem factis
sequuntur; et veluti uno momento praedicta magi-
stri iussio et perfecta discipuli opera, in velocitate
timoris Dei, ambae res communiter citius explican-
tur. Quibus ad vitam aeternam gradiendi amor in-
cumbit, ideo angustam viam arripiunt, unde Domi-
nus dicit: *Angusta via est quae ducit ad vitam,*^c ut
non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis et vo-
luptatibus obedientes, sed ambulantes alieno iudicio
et imperio, in coenobiis degentes, abbatem sibi prae-
esse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini
imitantur sententiam qua dicit: *Non veni facere vo-
luntatem meam, sed eius qui misit me.*^d

^a Psalm. xvii. 45. ^b Luc. x. 16. ^c Matth. vii. 14. ^d Joan. vi. 38.

^{23 Jan.}
^{24 Maii}
^{23 Sept.} Sed haec ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo et dulcis hominibus, si quod iubetur non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure, vel cum responso nolentis efficiatur; quia obedientia quae maioribus praebetur Deo exhibetur. Ipse enim dixit: *Qui vos audit me audit.*^a Et cum bono animo a discipulis praebetur oportet, quia *hilarem datorem diligit Deus.*^b Nam cum malo animo si obedit discipulus, et non solum ore, sed etiam in corde si murmuraverit, etiamsi impleat iussionem, tamen acceptus iam non erit Deo, qui cor eius respicit murmurans, et pro tali facto nullam consequitur gratiam; immo poenam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

Declaratio. 'Obedientia sine mora.'

—6. Obedientia est mater omnium custosque virtutum, et, sicut ait S. Gregorius, 'ceteras virtutes menti inserit, insertasque custodit.' Omnia igitur ab omnibus suo tempore et statutis horis pariter et pariformiter agenda sunt. Dato signo, sive ad chorum sive ad mensam sive ad alia exercitia singuli sine mora, etiam interrupto studio et imperfecto opere, sese conferant.

^a Luc. x. 16.

^b 2 Cor. ix. 7.

CAPUT VI

DE TACITURNITATE

24 Jan. FACIAMUS quod ait Propheta: *Dixi, custodiam*
25 Maii *vias meas, ut non delinquam in lingua mea: posui*
24 Sept. *ori meo custodiam: obmutui et humiliatus sum, et*
silui a bonis.^a Hic ostendit Propheta, si a bonis elo-
quiis interdum propter taciturnitatem debet tacere,
quanto magis a malis verbis propter poenam peccati
debet cessari? Ergo quamvis de bonis et sanctis et
aedificationum eloquiis, perfectis discipulis propter
taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur
licentia,⁷ quia scriptum est: *In multiloquio non effugies*
peccatum:^b et alibi: *Mors et vita in manibus linguae.*^c
Nam loqui et docere magistrum condecet: tacere et
audire discipulum convenit.

Et ideo si qua requirenda sunt a priore, cum
omni humilitate et subiectione reverentiae requi-
rantur. Scurrilitates vero,⁸ vel verba otiosa et risum
moventia, aeterna clausura in omnibus locis damna-
mus, et ad talia eloquia discipulum aperire os non
permittimus.

Declaratio. 'Loquendi concedatur licentia.'

—7. Quantum fieri potest, omnes religiose silentium servare stu-
deant, ut secundum S. Patriarchae sententiam peccatum effugiant
mentisque in semetipsis recollectionem custodiant. Iam vero ut

^a Psalm. xxxviii. 2, 3.

^b Prov. x. 19.

^c *Ibid.* xviii. 21.

releventur suaviterque inter se iungantur animi, concedatur recreatio sive colloquium. Silentii lex potissimum tenenda est in ecclesia, choro, dormitorio, refectorio, bibliotheca, capitulo. Iis in locis si loquendi necessitas urgeat, breviter fiat et submissa voce.

Declaratio. 'Scurrilitates vero.'

—8. Non prohibetur, immo valde commendatur modesta et fraterna hilaritas. At risus immoderatus, clamores, manuum iniectioes, omnia denique verba vel facta quae monasticae gravitati non conveniant, semper et ubique devitentur.

CAPUT VII

DE HUMILITATE

²⁵ Jan. CLAMAT nobis Scriptura divina, fratres, di-
²⁶ Maii cens: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui*
²⁵ Sept. *se humiliat exaltabitur.*^a Cum haec ergo dicit,
ostendit nobis omnem exaltationem genus esse su-
perbiae: quod se cavere Propheta indicat dicens:
Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt
oculi mei; neque ambulavi in magnis, neque in mira-
bilibus super me. Sed quid? Si non humiliter sentiebam,
si exaltavi animam meam; sicut ablactatum super ma-
trem suam, ita retribuis in animam meam.^b

²⁶ Jan. Unde, fratres, si summae humilitatis volu-
²⁷ Maii mus culmen attingere, et ad exaltationem
²⁶ Sept. illam caelestem, ad quam per praesentis vitae
humilitatem ascenditur, volumus velociter perve-
nire, actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda
est, quae in somnio Jacob apparuit, per quam ei de-
scendentes et ascendentibus angeli monstrabantur.
Non aliud sine dubio descensus ille et ascensus a
nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, et hu-
militate ascendere. Scala vero ipsa erecta nostra est
vita in saeculo, quae humiliato corde a Domino eri-
gitur ad caelum. Latera enim huius scalae dicimus
nostrum esse corpus et animam, in quae latera di-
versos gradus humilitatis vel disciplinae evocatio
divina ascendendos inseruit.

^a Luc. xiv. 11.

^b Psalm. cxxx. 1, 2.

27 Jan. Primus humilitatis gradus est, si timorem
 28 Maii Dei sibi ante oculos semper ponens, oblivio-
 27 Sept. nem omnino fugiat, et semper sit memor
 omnium quae praecepit Deus: ut qualiter et con-
 temnentes Deum gehenna de peccatis incendat, et
 vitam aeternam, quae timentibus Deum praeparata
 est, animo suo semper evolvat. Et custodiens se
 omni hora a peccatis et vitiis, id est cogitationum,
 linguae, manuum, pedum vel voluntatis propriae,
 sed et desideria carnis, aestimet se homo de caelis
 a Deo semper respici omni hora, et facta sua omni
 loco ab aspectu Divinitatis videri, et ab angelis omni
 hora Deo renuntiari, demonstrans nobis hoc Pro-
 pheta, cum in cogitationibus nostris ita Deum sem-
 per praesentem ostendit dicens: *Scrutans corda et*
renes Deus.^a Et item: *Dominus novit cogitationes*
hominum.^b Et item dicit: *Intellexisti cogitationes meas*
a longe;^c et: *Quia cogitatio hominis confitebitur tibi.*^d
 Nam ut sollicitus sit circa cogitationes perversas,
 dicat semper utilis frater in corde suo: *Tunc ero*
immaculatus coram eo, si observavero me ab iniquitate
mea.^e

28 Jan. Voluntatem vero propriam ita facere prohi-
 29 Maii bemur, cum dicit Scriptura nobis: *Et a vo-*
 28 Sept. *luntatibus tuis avertere.*^f Et item rogamus De-
 um in oratione, ut fiat illius voluntas in nobis.

Docemur ergo merito nostram non facere volun-
 tatem, quum cavemus illud quod dicit Scriptura:
Sunt viae quae videntur ab hominibus rectae, quarum

^a Psalm. vii. 10.

^d Psalm. lxxv. 11.

^b Psalm. xciii. 11.

^e Psalm. xvii. 24.

^c Psalm. cxxxviii. 3.

^f Ecclus. xviii. 30.

fnis usque ad profundum inferni demergit.^a Et cum item pavemus illud quod de negligentibus dictum est: *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in voluptatibus suis.^b* In desideriiis vero carnis ita nobis Deum credamus semper esse praesentem, cum dicit Propheta Domino: *Ante te est omne desiderium meum.^c*

29 Jan. Cavendum ergo ideo malum desiderium,
30 Maii quia mors secus introitum delectationis posi-
29 Sept. ta est; unde Scriptura praecipit dicens: *Post concupiscentias tuas non eas.^d* Ergo, si oculi Domini speculantur bonos et malos, et Dominus de caelo semper respicit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum; et ab angelis nobis deputatis quotidie die noctuque Domino factorum nostrorum opera nuntiantur: cavendum est ergo omni hora, fratres, sicut dicit in psalmo Propheta, ne nos declinantes in malo et inutiles factos, aliqua hora aspiciat Deus, et parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est et exspectat nos converti in melius, ne dicat nobis in futuro: *Haec fecisti et tacui.^e*

30 Jan. Secundus humilitatis gradus est, si propriam
31 Maii quis non amans voluntatem desideria sua non
30 Sept. delectetur implere; sed vocem illam Domini factis imitetur dicentis: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui me misit.^f* Item dicit Scriptura: Voluptas habet poenam, et necessitas parit coronam.

31 Jan. Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro
1 Junii Dei amore omni obedientia se subdat maiori,
1 Oct. imitans Dominum de quo dicit Apostolus: *Factus obediens usque ad mortem.^g*

^a Prov. xvi. 25. ^b Psalm. xiii. 1. ^c Psalm. xxxvii. 10. ^d Ecclus. xviii. 30.

^e Psalm. xlix. 21. ^f Joan. vi. 38. ^g Phil. ii. 8.

¹ Feb. Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa
² Junii obedientia duris et contrariis rebus, vel etiam
³ Oct. quibuslibet irrogatis iniuriis, tacite conscientia patientiam amplectatur, et sustinens non lassescat vel discedat, dicente Scriptura: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*^a Item: *Confortetur cor tuum, et sustine Dominum.*^b Et ostendens fidelem pro Domino universa etiam contraria sustinere debere, dicit ex persona sufferentium: *Propter te morte afficimur tota die; aestimati sumus sicut oves occisionis.*^c Et securi de spe retributionis divinae subsequuntur gaudentes et dicentes: *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.*^d Et item alio loco Scriptura: *Probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum: induxisti nos in laqueum; posuisti tribulationes in dorso nostro.*^e Et ut ostendat sub priore debere nos esse, subsequitur dicens: *Imposuisti homines super capita nostra.*^f Sed et praeceptum Domini in adversis et iniuriis per patientiam adimplentes, qui percussi in maxillam praebent et aliam, auferenti tunicam dimittunt et pallium, angariati miliario vadunt duo, cum Paulo Apostolo falsos fratres sustinent, et maledicentes se benedicunt.

² Feb. Quintus humilitatis gradus est, si omnes
³ Junii cogitationes malas cordi suo advenientes, vel
³ Oct. mala a se absconse commissa, per humilem confessionem abbati non celaverit suo, hortans nos de hac re Scriptura dicens: *Revela ad Dominum viam tuam et spera in eum.*^g Et item dicit: *Confitemini*

^a Matth. xxiv. 13.^b Psalm. xxvi. 14.^c Rom. viii. 36.^d *Ibid.* 37.^e Psalm. lxxv. 10, 11.^f *Ibid.* 12.^g Psalm. xxxvi. 5.

Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius.^a Et item Propheta: Delictum meum cognitum tibi feci, et iniustitias meas non operui. Dixi, pronuntiabo adversum me iniustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.^b

³ Feb. Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate
⁴ Junii vel extremitate contentus sit monachus, et ad
⁴ Oct. omnia quae sibi iniunguntur, velut operarium se malum iudicet et indignum, dicens sibi cum Propheta: *Ad nihilum redactus sum et nescivi: ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.^c*

⁴ Feb. Septimus humilitatis gradus est, si omnibus
⁵ Junii se inferiorem et viliolem non solum sua lin-
⁵ Oct. gua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se et dicens cum Propheta: *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis:^d exaltatus sum et humiliatus et confusus.^e Et item: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam mandata tua.^f*

⁵ Feb. Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat
⁶ Junii monachus, nisi quod communis monasterii
⁶ Oct. regula vel maiorum cohortantur exempla.

⁶ Feb. Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad
⁷ Junii loquendum prohibeat monachus, et taciturnitatem
⁷ Oct. habens, usque ad interrogationem non loquatur, monstrante Scriptura quia *in multiloquio non effugitur peccatum;^g et quia vir linguosus non dirigitur super terram.^h*

^a Psalm. cv. 1.

^d Psalm. xxi. 7.

^g Prov. x. 19.

^b Psalm. xxxi. 5.

^e Psalm. lxxxvii. 16.

^h Psalm. cxxxix. 12.

^c Psalm. lxxii. 22, 23.

^f Psalm. cxviii. 71.

7 Feb. Decimus humilitatis gradus est, si non sit
 8 Junii facilis ac promptus in risu, quia scriptum est:
 8 Oct. *Stultus in risu exaltat vocem suam.*^a

8 Feb. Undecimus humilitatis gradus est, si cum
 9 Junii loquitur monachus, leniter et sine risu, hu-
 9 Oct. militer et cum gravitate, vel pauca verba et
 rationabilia loquatur, et non sit clamorosus in voce;
 sicut scriptum est: Sapiens verbis innotescit paucis.

9 Feb. Duodecimus humilitatis gradus est, si non
 10 Junii solum corde monachus, sed etiam ipso cor-
 10 Oct. pore humilitatem videntibus se semper
 indicet; id est, in Opere Dei, in oratorio, in mona-
 sterio, in horto, in via, in agro, vel ubicumque sedens
 ambulans vel stans, inclinatio sit semper capite,
 defixis in terram aspectibus, reum se omni hora de
 peccatis suis aestimans, iam se tremendo iudicio
 repraesentari aestimet: dicens sibi in corde semper
 illud quod publicanus ille evangelicus, fixis in terram
 oculis dixit: *Domine, non sum dignus ego peccator levare
 oculos meos ad caelos.*^b Et item cum Propheta: *In-
 curvatus sum et humiliatus sum usquequaque.*^c

Ergo his omnibus humilitatis gradibus⁹ ascensis,
 monachus mox ad caritatem Dei perveniet illam
 quae perfecta foras mittit timorem; per quam uni-
 versa quae prius non sine formidine observabat,
 absque ullo labore velut naturaliter ex consuetudine
 incipiet custodire, non iam timore gehennae sed
 amore Christi et consuetudine ipsa bona, et dele-
 ctatione virtutum. Quae Dominus iam in opera-

^a Ecclus. xxi. 23.

^b Luc. xviii. 13.

^c Psalm. cxviii. 107.

rium suum mundum a vitiis et peccatis Spiritu Sancto dignabitur demonstrare.

Declaratio. 'His omnibus humilitatis gradibus.'

—9. Humilitatem passim suis celebrant encomiis sancti Patres et ascetae, verum de hac virtute nemo ferme accuratius et solidius disserit quam S. P. N. Benedictus in praesenti capite. In sua Summa (II. II^o qu. clxi. art. vi) S. Thomas hos humilitatis gradus expendit et valde commendat. 'Humilitas', ait Cassianus (Coll. xv. c. 7) 'est omnium magistra virtutum, ipsa est caelestis aedificii firmissimum fundamentum; ipsa est donum proprium atque magnificum Salvatoris.' S. P. N. Benedictus, qui summam hanc virtutem tam luculenter docuit, ab ascetis 'Humilitatis Doctor' nuncupatur.

CAPUT VIII

DE OFFICIIS DIVINIS IN NOCTIBUS

¹⁰ Feb. ¹¹ Junii ¹¹ Oct. HIEMIS tempore, id est, a Kalendis Novembris usque in Pascha, iuxta considerationem rationis, octava hora noctis surgendum est,¹⁰ ut modice amplius de media nocte pausetur, et iam digesti surgant. Quod vero restat post Vigiliis, a fratribus qui psalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inserviatur. A Pascha autem usque ad supradictas Kalendas Novembris, sic temperetur hora ut Vigiliarum Agenda parvissimo intervallo, quo fratres ad necessaria naturae exeant, mox Matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

Declaratio. 'Octava hora noctis surgendum est.'

—10. In domibus ubi duodecim monachi simul habitant, Officium Matutinum hora quinta inchoabitur, nisi ob causas a Praeside in visitatione approbatas paulo tardius protrahatur. In prioratibus minoribus Officium hora a Praelato determinanda inchoabitur. In prioratibus sicut et in abbatibus Officium Divinum quotidie choraliter persolvendum est.

CAPUT IX

QUANTI PSALMI DICENDI SUNT NOCTURNIS HORIS

¹¹ Feb. ¹² Junii ¹² Oct. **HIEMIS** tempore suprascripto, in primis versus tertio dicendus, *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam*; cui subiungendus est tertius psalmus, et *Gloria*: post hunc, psalmus nonagesimus quartus cum antiphona, aut certe decantandus. Inde sequatur ambrosianus: deinde sex psalmi cum antiphonis. Quibus dictis, dicto versu, benedicat abbas; et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissim a fratribus in codice super analogium tres lectiones, inter quas et tria responsoria cantentur. Duo responsoria sine *Gloria* dicantur; post tertiam vero lectionem, qui cantat dicat *Gloria*; quam dum incipit cantor dicere, mox omnes de sedilibus suis surgant ob honorem et reverentiam Sanctae Trinitatis. Codices autem legantur in Vigiliis divinae auctoritatis tam Veteris Testamenti quam Novi; sed et expositiones earum, quae a nominatis et orthodoxis catholicis Patribus factae sunt. Post has vero tres lectiones cum responsoriis suis, sequantur reliqui sex psalmi cum *Alleluia* canendi. Post hos lectio Apostoli sequatur, ex corde recitanda, et versus, et supplicatio litaniae, id est, *Kyrie eleison*; et sic finiantur Vigiliae nocturnae.

CAPUT X

QUALITER AESTATIS TEMPORE AGATUR NOCTURNA LAUS

12 Feb. A PASCHA autem usque ad Kalendas Novem-
13 Junii bris omnis ut supra dictum est psalmodiae
13 Oct. quantitas teneatur; excepto quod lectiones
in codice, propter brevitatem noctium, minime le-
gantur, sed pro ipsis tribus lectionibus, una de
Veteri Testamento memoriter dicatur, quam breve
responsorium subsequatur, et reliqua omnia ut
dictum est impleantur; id est, ut nunquam minus
a duodecim psalmodiarum quantitate ad Vigiliis
nocturnas dicatur, exceptis tertio et nonagesimo
quarto psalmo.

CAPUT XI

QUALITER DIEBUS DOMINICIS VIGILIAE AGANTUR

¹³ Feb. ¹⁴ Junii ¹⁴ Oct. DOMINICO die temperius surgatur ad Vigiliis; in quibus Vigiliis teneatur mensura: id est, modulatis ut supra disposuimus sex psalmis et versu, residentibus cunctis disposite et per ordinem in subselliis, legantur in codice ut supra diximus quatuor lectiones cum responsoriis suis; ubi tantum in quarto responsorio dicatur a cantante *Gloria*, quam dum incipit, mox omnes cum reverentia surgant. Post quas lectiones sequantur ex ordine alii sex psalmi cum antiphonis, sicut anteriores, et versu. Post quos iterum legantur aliae quatuor lectiones cum responsoriis suis, ordine quo supra. Post quas dicantur tria cantica de 'Prophetarum', quae instituerit abbas; quae cantica cum *Alleluia* psallantur. Dicto etiam versu, et benedicente abbate, legantur aliae quatuor lectiones de Novo Testamento, ordine quo supra. Post quartum autem responsorium incipiat abbas hymnum *Te Deum laudamus*. Quo perdicto, legat abbas lectionem de Evangelio,¹¹ cum honore et timore stantibus omnibus. Qua perlecta, respondeant omnes *Amen*; et subsequatur mox abbas hymnum *Te decet laus*, et data benedictione incipiant Matutinos. Qui ordo Vigiliarum omni tempore tam aestatis quam hiemis aequaliter in die dominico teneatur: ni, si forte,

quod absit, tardius surgatur, aliquid de lectionibus breviandum est aut responsoriis. Quod tamen omnino caveatur ne proveniat. Quod si contigerit, digne inde satisfaciat Deo in oratorio, per cuius evenerit neglectum.

Declaratio. 'Legat abbas lectionem de Evangelio'.

—11. Per plura iam saecula usus obtinuit Evangelii decantandi curam presbytero hebdomadario committendi. Diebus solemnioribus ab Abbate Evangelium ad Matutinum adhuc cantatur vel recitatur.

CAPUT XII

QUOMODO MATUTINORUM SOLEMNITAS AGATUR

¹⁴ Feb. IN Matutinis dominico die, in primis dicatur
¹⁵ Junii sexagesimus sextus psalmus sine antiphona
¹⁵ Oct. in directum. Post quem dicatur quinquage-
simus psalmus cum *Alleluia*; post quem dicatur
centesimus decimus septimus et sexagesimus secun-
dus; inde Benedictiones et Laudes, lectio de
Apocalypsi una ex corde et responsorium, ambro-
sianus, versus, canticum de Evangelio, litania, et
completum est.

CAPUT XIII

PRIVATIS DIEBUS QUALITER AGANTUR MATUTINI

¹⁵ Feb. DIEBUS autem privatis Matutinorum solem-
¹⁶ Junii nitas ita agatur: id est, ut sexagesimus sextus
¹⁶ Oct. psalmus dicatur sine antiphona, subtrahendo
 modice sicut Dominica, ut omnes occurrant ad
 quinquagesimum, qui cum antiphona dicatur. Post
 quem alii duo psalmi dicantur secundum consue-
 tudinem; id est, secunda feria quintus et trigesimus
 quintus, tertia feria quadragesimus secundus et
 quinquagesimus sextus, quarta feria sexagesimus
 tertius et sexagesimus quartus, quinta feria octoge-
 simus septimus et octogesimus nonus, sexta feria
 septuagesimus quintus et nonagesimus primus,
 sabbato autem centesimus quadragesimus secundus
 et canticum Deuteronomii, quod dividatur in duas
Glorias. Nam ceteris diebus canticum unumquod-
 que die suo ex Prophetis, sicut psallit Ecclesia
 Romana, dicatur. Post haec sequantur Laudes;
 deinde lectio una Apostoli memoriter recitanda,
 responsorium, ambrosianus, versus, canticum de
 Evangelio, litania, et completum est.

¹⁶ Feb. Plane Agenda matutina vel vespertina non
¹⁷ Junii transeat aliquando nisi ultimo per ordinem
¹⁷ Oct. oratio dominica, omnibus audientibus, dica-
 tur a priore, propter scandalorum spinas quae oriri
 solent, ut conventi per ipsius orationis sponsionem
 qua dicunt *Dimitte nobis sicut et nos dimittimus*, pur-

gent se ab huiusmodi vitio. Ceteris vero Agendis
ultima pars eius orationis dicatur, ut ab omnibus
respondeatur: *Sed libera nos a malo.*

CAPUT XIV

IN NATALITIIS SANCTORUM QUALITER AGANTUR VIGILIAE

17 Feb. In sanctorum vero festivitibus, vel omnibus
18 Junii solemnitatibus, sicut diximus dominico die
18 Oct. agendum, ita agatur; excepto quod psalmi
aut antiphonae vel lectiones ad ipsum diem per-
tinentes dicantur; modus autem suprascriptus
teneatur.

CAPUT XV

ALLELUIA QUIBUS TEMPORIBUS DICATUR

18 Feb. A SANCTO Pascha usque Pentecosten sine
19 Junii intermissione dicatur *Alleluia*, tam in psalmis
19 Oct. quam in responsoriis. A Pentecoste autem
usque caput Quadragesimae omnibus noctibus cum
sex posterioribus psalmis tantum ad Nocturnos di-
catur. Omni vero Dominica extra Quadragesimam
cantica, Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nonaque
cum *Alleluia* dicatur: Vespera vero iam antiphona.
Responsoria vero nunquam dicantur cum *Alleluia*,
nisi a Pascha usque Pentecosten.

CAPUT XVI

QUALITER DIVINA OPERA PER DIEM AGANTUR

19 Feb. UT ait Propheta: *Septies in die laudem dixi*
 20 Junii *tibi.*^a Qui septenarius sacratus numerus a
 20 Oct. nobis sic implebitur, si Matutino, Primae,
 Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperae, Completoriique
 tempore nostrae servitutis officia persolvamus;
 quia de his diurnis Horis dixit Propheta: *Septies in*
die laudem dixi tibi.^a Nam de nocturnis Vigiliis idem
 ipse Propheta ait: *Media nocte surgebam ad confiten-*
dum tibi.^b Ergo his temporibus referamus laudes
 Creatori nostro *super iudicia iustitiae suae,*^c id est,
 Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera,
 Completorio; et nocte surgamus ad confitendum ei.

^a Psalm. cxviii. 164.^b *Ibid.* 62.^c *Ibid.* 164.

CAPUT XVII

QUOT PSALMI PER EASDEM HORAS CANENDI SUNT

20 Feb. IAM de Nocturnis vel Matutinis digessimus
21 Junii ordinem psalmodiae; nunc de sequentibus
21 Oct. Horis videamus. Prima Hora dicantur psal-
mi tres singillatim et non sub una *Gloria*, hymnus
eiusdem Horae post versum *Deus in adiutorium*,
antequam psalmi incipiantur. Post expletionem ve-
ro trium psalmodiarum, recitetur lectio una, versus et
Kyrie eleison, et missae. Tertia vero, Sexta et Nona,
item eo ordine celebretur oratio: id est versus,
hymni earundem Horarum, terni psalmi, lectio et
versus, *Kyrie eleison* et missae sunt. Si maior con-
gregatio fuerit, cum antiphonis, si vero minor, in
directum psallantur.

Vespertina autem synaxis quatuor psalmis cum
antiphonis terminetur; post quos psalmos lectio re-
citanda est, inde responsorium, ambrosianus, ver-
sus, canticum de Evangelio, litania, et oratione
dominica fiant missae. Completorium autem trium
psalmodiarum dictione terminetur; qui psalmi dire-
ctanei sine antiphona dicendi sunt: post quos hym-
nus eiusdem Horae, lectio una, versus, *Kyrie eleison*,
et benedictione missae fiant.

CAPUT XVIII

QUO ORDINE IPSI PSALMI DICENDI SUNT

21 Feb. DICATUR versus: *Deus in adiutorium meum*
 22 Junii *intende, Domine ad adiuvandam me festina,*
 22 Oct. *Gloria;* inde hymnus uniuscuiusque Horae.

Deinde Prima Hora, Dominica, dicenda sunt quatuor capitula psalmi centesimi octavi decimi; reliquis vero Horis, id est, Tertia, Sexta vel Nona, terna capitula suprascripti psalmi centesimi octavi decimi dicantur. Ad Primam autem secundae feriae dicantur tres psalmi, id est, primus, secundus et sextus. Et ita per singulos dies ad Primam, usque Dominicam, dicantur per ordinem terni psalmi usque nonumdecimum psalmum; ita sane, ut nonus psalmus et septimus decimus partiantur in binos. Et sic fit, ut ad Vigiliis Dominica semper a vigesimo incipiatur.

22 Feb. Ad Tertiam vero, Sextam Nonamque se-
 23 Junii cundae feriae novem capitula, quae residua
 23 Oct. sunt de centesimo octavo decimo, ipsa terna capitula per easdem Horas dicantur. Expenso ergo psalmo centesimo octavo decimo duobus diebus, id est Dominico et secunda feria, tertia feria iam ad Tertiam, Sextam vel Nonam psallantur terni psalmi, a centesimo nono decimo usque centesimum vigesimum septimum, id est psalmi novem. Quique psalmi semper usque Dominicam per easdem Horas itidem repetantur: hymnorum nihilominus

lectionum vel versuum dispositione uniformi cunctis diebus servata; et ita scilicet semper Dominica a centesimo octavo decimo incipiatur.

23 Feb. Vespera autem quotidie quatuor psalmorum
 24 Junii modulatione canatur. Qui psalmi incipiantur
 24 Oct. a centesimo nono usque centesimum quadragesimum septimum: exceptis his qui in diversis Horis ex eis sequestrantur, id est, a centesimo septimo decimo usque centesimum vigesimum septimum, et centesimo trigesimo tertio, et centesimo quadragesimo secundo; reliqui omnes in Vespera dicendi sunt. Et quia minus veniunt tres psalmi, ideo dividendi sunt qui ex numero superscripto fortiores inveniuntur: id est, centesimus trigesimus octavus, et centesimus quadragesimus tertius, et centesimus quadragesimus quartus. Centesimus vero sextus decimus, quia parvus est, cum centesimo quinto decimo coniungatur. Digesto ergo ordine psalmorum vespertinorum, reliqua, id est lectio, responsum, hymnus, versus, vel canticum, sicut supra taxavimus impleatur. Ad Completorium vero quotidie iidem psalmi repetantur: id est, quartus, nonagesimus, et centesimus trigesimus tertius.

(24 Feb. si fuerit bissextilis; alias jungitur praecedenti.) Disposito ordine psalmodiae diurnae, reliqui omnes psalmi qui supersunt aequaliter dividantur in septem noctium Vigilias, partiendo scilicet qui inter eos prolixiores sunt psalmi, et duodecim per unamquamque constituentur noctem: hoc praecipue commonentes, ut si 25 Junii 25 Oct. cui forte haec distributio psalmorum displicuerit, ordinet si melius aliter iudicaverit; dum

omnimodis id attendat, ut omni hebdomada psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmorum psallatur, et Dominico die semper a capite reprendatur ad Vigiliis: quia nimis iners devotionis suae servitium ostendunt monachi, qui minus a psalterio, cum canticis consuetudinariis, per septimanae circulum psallunt; dum quando legamus sanctos Patres nostros uno die hoc strenue implesse, quod nos tepidi utinam septimana integra persolvamus.

CAPUT XIX

DE DISCIPLINA PSALLENDI

24 (25) Feb. UBIQUE credimus divinam esse praesen-
26 Junii tiam, et oculos Domini in omni loco specu-
26 Oct. lari bonos et malos: maxime tamen hoc sine
aliqua dubitatione credamus cum ad Opus divinum
assistimus. Ideo semper memores simus quod ait
Propheta: *Servite Domino in timore.*^a Et iterum:
Psallite sapienter.^b Et: *In conspectu angelorum psal-
lam tibi.*^c Ergo consideremus qualiter oporteat in
conspectu Divinitatis et angelorum eius esse,¹²⁻¹⁸
et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra con-
cordet voci nostrae.

Declaratio. 'Consideremus qualiter oporteat in conspectu
Divinitatis et angelorum eius esse'.

—12. Nihil Operi Dei praeponatur. Quoties igitur maximum
hoc Opus perficiendum erit, ad stationem alacri pietate festinent
fratres nostri; datoque signo, ecclesiam bini ingrediantur, suo
quisque ordine. In choro deferatur toga seu cuculla, externusque
corporis habitus tantam prae se ferat humilitatem ac modestiam,
ut Divinae praesentiae memores eos esse testetur. De professori-
bus atque officialibus monasterii, quoad absentiam a choro, statuat
Superior quod prudentia dictaverit. Tam in choro et capitulo,
quam omnibus aliis in locis actibusque conventualibus, obser-
ventur caeremoniae in Caeremoniali praescriptae. Huius Decla-

^a Psalm. ii. 11.

^b Psalm. xlvi. 8.

^c Psalm. cxxxvii. 1.

rationis neglectum poena culpae gravi assignata castiget Praeses in sua monasterii visitatione.

—13. Divinum Officium, sive notis sive in directum, alta semper et sonora voce psallatur, adeoque aequabili ut singulae eodem tempore audiantur syllabae. Versus psalmodiarum ab omnibus simul inchoentur, simul terminentur; et quoties interponenda erit pausa, una ab omnibus interponatur: in cuiusque versus media extremaque parte fiat pausa cum respiratione. Solemnitatum habeatur ratio.

—14. Discant omnes et se assuescant sedulo ita Divinum Officium psallere ut non sit illis mera oratio vocalis et arida, sed etiam mentalis et quasi iaculatoria: nimirum ut totum Divinum Officium cum spirituali et interno gustu decantent, et sensum ipsius psalmodii ad affectum sibi necessarium applicent.

—15. Preces in psalmis a Spiritu Sancto inspiratis praecipue continentur. ‘Si orat psalmus’, ait Sanctus Augustinus, ‘orate; et si gemit, gemite; et si gratulatur, gaudete; et si sperat, sperate; et si timet, timete’ (in Psal. xxx. Sermo iii). Psalmorum verba sunt ergo fontes copiosissimi, e quibus hauriri possunt aspirationes ad animarum sanctificationem et perfectionem. His piis affectibus amoris ignis ita accenditur et nutritur ut in magnum crescat incendium: ‘Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris’.

X —16. In Missis et in Officio Divino adhibeatur cantus Gregorianus. Et cum primarium officium nostrum sit in terra praestare quod angeli in caelo, ideo cantum ardentiori zelo addiscere nostri studere debent, sine quo hoc officio defungi non possunt ut aedificentur audientes. Quandocumque autem usurpatur cantus qui figuratus vocatur, ita sit gravis, sedatus, distinctus, ut verba ipsa intelligantur, omnisque vitetur effeminata levitas,

Divini Officii ut augeatur maiestas, organis uti licebit; minime vero aliis, quae choro monastico non conveniunt, musicis instrumentis; nec in chorum, cantandi causa, admittentur saeculares, nisi admodum pauci, quique vitae ac morum honestate fuerint commendabiles. Quoad musicam et cantum in nostris ecclesiis parochialibus, servantur ea omnia quae in Conciliis Provinciae Westmonasteriensis 'De cantoribus et cantu ecclesiastico' statuta sunt.

—17. Novas sanctorum festivitates Superior nullus inducat absque Capituli Generalis licentia. Festa Natalis ac Commemorationis Sancti Patris Benedicti in singulis monasteriis nostris maxima celebrentur solemnitate. Quoniam vero, ut peculiare Congregationis nostrae Patronos, veneramus Sanctum Augustinum Archiepiscopum Cantuariensem atque Anglorum gentis Apostolum, qui primus Benedictinum Ordinem in Angliam invexit, Sanctumque Benedictum Biscopum Abbatem et Confessorem; idcirco idem prorsus eorum festis privilegium concedimus; nimirum, ut inter praecipua festa censeantur solemnique ritu celebrentur. His etiam addimus festum Sancti Gregorii Papae et Ecclesiae Doctoris, qui a Venerabili Beda Angliae Apostolus nuncupatur; festum omnium Sanctorum Ordinis nostri; ac festum denique Sancti Thomae Archiepiscopi Cantuariensis. De reliquis festis videantur Calendarium et Caeremoniale.

—18. In collegiis ordinentur horarum dispositio et Divini Officii solemnitas prout Praesidi ac Praelatis monasteriorum videbitur expedire: in aliis monasteriis autem prout Abbati atque Conciliariis, consideratis locorum atque exercitiorum circumstantiis, aliorumque religiosorum consuetudine.

CAPUT XX

DE REVERENTIA ORATIONIS

^{25 (26) Feb.} ^{27 Junii} ^{27 Oct.} SI cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus nisi cum humilitate et reverentia; quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est! Et non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo brevis debet esse et pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis divinae gratiae protendatur.¹⁹⁻²³ In conventu tamen omnino brevietur oratio, et facto signo a priore omnes pariter surgant.

Declaratio. ‘Brevis debet esse et pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis divinae gratiae protendatur’.

—19. Omnes orationi mentali quotidie per semihoram integram mane vacabunt tempore opportuno. Sedulo invigilabit Superior ut omnes pie, ordinate ac perseveranter necessarium hoc vitae monasticae pensum peragere se assuescant. Seligat etiam Superior singulis annis tempus opportunum quo omnes fratres continuum per octo dies recessum peragant, quatenus ita primum ipsimet discant vere spirituales et contemplativi evadere, ac deinde alios iisdem exercitiis erudire et gubernare possint. Nemo hoc recessus tempore, nec unquam, inusitatas sibi poenitentias imponat, sine licentia Superioris: nec quisquam ob huiusmodi recessum absit a choro aliisque actibus conventualibus.

—20. Ardens monasticae perfectionis veraeque pietatis studium

ut in sese excitent foveantque fratres nostri, saepius, immo quotidie, secum cogitare debent quantum Deo promiserint in solemnibus Votorum nuncupatione. Semel autem singulis annis, intra octavam festi Omnium Sanctorum Ordinis nostri, vel post recessum annum, hora per Superiorem statuta, convenient omnes, tam choro addicti quam fratres laici, in ecclesiam, ibique flexis genibus, ante altare maius Vota eadem renovabunt iuxta formam in Caeremoniali.

—21. Ineunte quolibet mense sacerdotes singuli unum pro felici Congregationis statu Sacrum facient: ceterique monachi, simili intentione, quinque Rosarii decades recitabunt.

—22. Missae et alia suffragia tam publica quam privata quae in Caeremoniali pro vivis et pro defunctis Congregationis nostrae sunt praescripta, devote et accurate peragantur.

—23. Praeter Officium Divinum et semihoram orationis mentalis supra impositam, sequentia exercitia pia ab omnibus quotidie fiant: lectio spiritualis per semihoram; brevis adoratio coram Sanctissimo vel ante vel post prandium; hora competenti antequam cubitum itur breve conscientiae examen. In monasteriis post Completorium, vel sero, cantetur Antiphona B. M. V. et in choro detur Asperges.

CAPUT XXI

DE DECANIS MONASTERII

^{26 (27) Feb.}
^{28 Junii}
^{28 Oct.}

Si maior fuerit congregatio, eligantur de ipsis fratres boni testimonii et sanctae conversationis, et constituentur decani;²⁴ qui sollicitudinem gerant super decanias suas in omnibus, secundum mandata Dei et praecepta abbatis sui. Qui decani tales eligantur, in quibus securus abbas partiat onera sua; et non eligantur per ordinem sed secundum vitae meritum et sapientiae doctrinam. Quique decani, si ex eis aliqua forte quis inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel et iterum atque tertio, si emendare noluerit, deiciatur, et alter in loco eius, qui dignus est, subrogetur. Et de praeposito eadem constituimus.

Declaratio. 'Constituantur decani'.

—24. Decanorum officium hodie tenet Prior claustralis cum aliis monasterii officialibus. Praelato aut viro capitulari in monasterio degenti Superior officia parvae dignitatis non imponat.

CAPUT XXII

QUOMODO DORMIANT MONACHI

27 (28) Feb. SINGULI per singula lecta dormiant. Lecti-
29 Junii sternia pro modo conversationis, secundum
29 Oct. dispensationem abbatis sui, accipiant. Si
potest fieri, omnes in uno loco dormiant:²⁶⁻²⁷ sin autem
multitudo non sinit, deni aut viceni cum senioribus
suis, qui super eos solliciti sint, pausent. Candela
jugiter in eadem cella ardeat usque mane. Vestiti
dormiant, et cincti cingulis aut funibus, ut cultellos
suos ad latus suum non habeant dum dormiunt, ne
forte per somnum vulnerent dormientem: et ut
parati sint monachi semper, et facto signo absque
mora surgentes, festinent invicem se praevenire ad
Opus Dei, cum omni tamen gravitate et modestia.
Adolescentiores fratres iuxta se non habeant lectos,
sed permixti cum senioribus. Surgentes vero ad
Opus Dei invicem se moderate cohortentur, propter
somnolentorum excusationes.

Declaratio. 'In uno loco dormiant'.

—25. Totam noctem in dormitorio ardeat lumen, in eoque
die noctuque stricte servetur silentium. Fratres per dormitorium
incedentes ita se gerant modeste ut quietem non turbent. Divi-
datur omne dormitorium plurimas in cellas, quarum una cuique
fratri assignetur. Nemo unquam suam sic interius claudat cellam
ut Superior illam aperire non queat.

—26. Praecipimus districte, ne quis e nostris monachus in monasterio degens, sive choro addictus sive laicus, alterius conventualis cellam ingrediatur, sine expressa Superioris sui licentia. Omnibus tamen liberum erit infirmorum cellas ingredi, ut infra dicetur (Num. 46). Prioribus etiam cellas omnium conventualium; Magistris iuniorum cellas eorum qui ipsis subiecti sunt; ac Professoribus cellas suorum auditorum ingredi licebit: et quidem vice versa. Qui pariter alicui fuerit in solatium assignatus, ut ei vel reverentiae vel necessitatis causa inserviat, eiusdem poterit cellam ingredi: sed non vice versa.

—27. In cella uniuscuiusque fratrum nostrorum pro suppellectili dentur cathedrae duae, mensa, oratorium cum cruce, theca ad libros servandos accommodata, paucaeque imagines quae pietatem excitent. Pro strato et aliis mobilibus curabit Superior ut 'supellex statui paupertatis quam professi sunt, conveniat; nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur' (Conc. Trid. Sess. xxv. Cap. ii).

CAPUT XXIII

DE EXCOMMUNICATIONE CULPARUM

28 (29) Feb. Si quis frater contumax, aut inobediens,
30 Junii aut superbus, aut murmurans, vel in ali-
30 Oct. quo contrarius existens sanctae Regulae
et praeceptis seniorum suorum, contemptor repertus
fuerit; hic secundum Domini nostri praeceptum
admoneatur semel et secundo secrete a senioribus
suis. Si non emendaverit, obiurgetur publice coram
omnibus. Si vero neque sic correxerit, si intelligit
qualis poena sit, excommunicationi subiaceat. Sin
autem improbus est, vindictae corporali subdatur.

CAPUT XXIV

QUALIS DEBET ESSE MODUS EXCOMMUNICATIONIS

¹ Mar. SECUNDUM modum culpae²⁸⁻³¹ excommunica-
¹ Julii tionis vel disciplinae mensura debet extendi:
³¹ Oct. qui culparum modus in abbatis pendeat iu-
 dicio. Si quis tamen frater in levioribus culpis in-
 venit, tantum a mensae participatione privetur.
 Privati autem a mensae consortio ista erit ratio: ut
 in oratorio psalmum aut antiphonam non imponat,
 neque lectionem recitet, usque ad satisfactionem.
 Refectionem autem cibi post fratrum refectionem
 solus accipiat; ut si verbi gratia fratres reficiunt sexta
 hora, ille frater nona; si fratres nona, ille vespera;
 usque dum satisfactione congrua veniam conse-
 quatur.

Declaratio. 'Secundum modum culpae'.

—28. Culpae in se sunt leves, graves aut gravissimae. Parvae infractiones disciplinae regularis ex fragilitate, incogitantia, nimia festinatione, oblivione aut ignorantia admissae,—ut si quis forte in caeremoniis ordinariis, vel in silentio, vel diligentia in exercitiis quotidianis fefellerit, aut quid simile vel commiserit vel omiserit,—satis punientur ordinariis illis actibus demissionis qui in quolibet monasterio obtinent.

—29. Poenae quibus castigari poterunt culpae leves pro ratione malitiae, frequentiae vel pertinaciae, sunt genuflexio per quartam circiter partem horae in medio choro, capitulo aut refectorio, praesenti conventu; vel privatio alicuius obsonii in prandio aut

in coena; vel recessus per unum diem in cella; vel caput Regulae cum Declarationibus, quod observare neglexerit delinquens, flexis genibus, legendum coram ipso Superiore; aliaeve similes poenae, quas iterare aut producere licebit si postulent rerum circumstantiae.

—30. Culpaee graves sunt illae quae, speciali ratione, bonis moribus, instituto monastico, aut sanctae Regulae adversantur; quaeve iis repugnant Constitutionibus quibus annexum est mandatum expressum sanctae obedientiae. Ad tales culpas luendas, iniungetur prostratio coram omnibus monasterii fratribus in stationem congregatis, ante vel post actum quemvis conventualem; ieiunium altero quoque die per hebdomadam, flexis genibus, in medio refectorio; vel deambulationis extra monasterium privatio per mensem; vel aliae id genus poenae, quas etiam iterare aut protrahere licitum erit pro ratione delicti.

—31. Culpaee sunt gravissimae quando cum scandalo manifesto et publico committuntur. Delinquens censuris regularibus subiciatur; cuiusmodi sunt, privatio officii, dignitatis, vocisque activae et passivae, suspensio ab Ordinum susceptorum exercitio, et etiam deiectio ad ultimum gradum inter monasterii monachos; quae censurae ad proximum usque Capitulum Generale continuari poterunt.

CAPUT XXV

DE GRAVIORIBUS CULPIS

² Mar. Is autem frater qui gravioris culpae noxa
² Julii tenetur, suspendatur a mensa simul ab ora-
¹ Nov. torio. Nullus ei fratrum in ullo iungatur
 consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi
 iniunctum, persistens in poenitentiae luctu, sciens
 illam terribilem Apostoli sententiam dicentis: *Tra-*
ditum eiusmodi hominem in interitum carnis, ut spiritus
salvus sit in die Domini.^a Cibi autem refectionem
 solus percipiat, mensura vel hora qua praeviderit
 abbas ei competere: nec a quoquam benedicatur
 transeunte, nec cibus qui ei datur.

^a 1 Cor. v. 5.

CAPUT XXVI

DE IIS QUI SINE IUSSIONE IUNGUNT SE EXCOMMUNICATIS

³ Mar. Si quis frater praesumpserit sine iussione
³ Julii abbatis fratri excommunicato quolibet modo
² Nov. se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum
ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis
vindictam.

CAPUT XXVII

QUALITER DEBEAT ABBAS SOLLICITUS ESSE CIRCA
EXCOMMUNICATOS

OMNI sollicitudine curam gerat abbas circa
^{4 Mar.} delinquentes fratres: quia *non est opus sanis*
^{4 Julii} *medicus, sed male habentibus.*^a Et ideo uti debet
^{3 Nov.} omni modo ut sapiens medicus: immittere senpectas,
 id est, seniores sapientes fratres, qui quasi secrete
 consolentur fratrem fluctuantem, et provocent ad
 humilitatis satisfactionem, et consolentur eum, *ne*
abundantiori tristitia absorbeat;^b sed sicut ait item
 Apostolus: *Confirmetur in eo caritas,*^c et oretur pro
 eo ab omnibus.

Magnopere enim debet sollicitudinem gerere abbas, et omni sagacitate et industria currere, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem: et metuat Prophetæ comminationem per quam dicit Deus: *Quod crassum videbatis assumebatis: et quod debile erat proiciebatis.*^d Et Pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem quæ erraverat quaerere; cuius infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, et sic reportare ad gregem.

^a Matth. ix. 12.^b 2 Cor. ii. 7.^c *Ibid.* 8.^d Ezech. xxxiv. 3, 4.

CAPUT XXVIII

DE HIS QUI SAEPIUS CORREPTI EMENDARE NOLUERINT

5 Mar. Si quis frater frequenter correptus pro qua-
5 Julii libet culpa, si etiam excommunicatus non
4 Nov. emendaverit, acrior ei accedat correptio, id
est, ut verberum vindicta in eum procedat. Quod
si nec ita se correxerit, aut forte, quod absit, in
superbiam elatus etiam defendere voluerit opera
sua, tunc abbas faciat quod sapiens medicus: si
exhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, si
médicamenta Scripturarum divinarum, si ad ulti-
mum ustionem excommunicationis vel plagarum
virgae; et iam si viderit nihil suam praevalere in-
dustriam, adhibeat etiam, quod maius est, suam et
omnium fratrum pro eo orationem, ut Dominus
qui omnia potest operetur salutem circa infirmum
fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc
iam utatur abbas ferro abscissionis,³² ut ait Aposto-
lus: *Auferte malum ex vobis.*^a Et iterum: *Infidelis
si discedit discedat;*^b ne una ovis morbida omnem
gregem contagiet.

Declaratio. 'Ferro abscissionis'.

—32. Si forte necesse sit, quod absit, ut ad expulsionem fratris
incurrigibilis procedatur, abscissionis processus instruetur secun-
dum formam a Sancta Sede praescriptam.

^a 1 Cor. v. 13.

^b *Ibid.* vii. 15.

CAPUT XXIX

SI DEBEANT ITERUM RECIPI FRATRES EXEUNTES DE
MONASTERIO

6 Mar. FRATER qui proprio vitio egreditur de mo-
6 Julii nasterio, si reverti voluerit, spondeat prius
5 Nov. omnem emendationem pro quo egressus est,
et sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc eius
humilitas comprobetur. Quod si denuo exierit us-
que tertio ita recipiatur, iam postea sciens omnem
sibi reversionis aditum denegari.

CAPUT XXX

DE PUERIS MINORI AETATE QUALITER CORRIPIANTUR

7 Mar. OMNIS aetas vel intellectus proprias debet
7 Julii habere mensuras. Ideoque quoties pueri, vel
6 Nov. adolescentiores³³ aetate, aut qui minus intel-
ligere possunt quanta poena sit excommunicationis,
hi tales dum delinquent, aut ieiuniis nimis affli-
gantur, aut acribus verberibus coerceantur, ut
sanentur.

Declaratio. 'Pueri vel adolescentiores'.

—33. Munus instituendi pueros in sanctitate et scientia opus est vere monasticum, tum auctoritate et exemplo SS. Patris tum traditione perpetua Ordinis nostri confirmatum. Fratres qui hoc officium suscipiunt caveant ne orationes et disciplina regularis studiis humanioribus excludantur. Prius igitur ipsi in Dominici schola servitii conformati atque exculti, omni ope nitantur ut educandi vera fide et solida pietate imbuantur, quod primum est et maximum eorum muneris. Deinde curent ut solidae etiam eruditionis eluceant splendore, qui in Dei gloriam honoremque S. Ecclesiae redundet, et viam illustret qua ad caelestem patriam peregrinentur.

CAPUT XXXI

DE CELLERARIO MONASTERII QUALIS SIT

8 Mar. CELLERARIUS monasterii eligatur de congrega-
 8 Julii gatione³⁴ sapiens, maturus moribus, sobrius,
 7 Nov. non multum edax, non elatus, non turbulenus,
 non iniuriosus, non tardus, non prodigus, sed
 timens Deum, qui omni congregationi sit sicut pater.
 Curam gerat de omnibus:³⁵ sine iussione abbatis
 nihil faciat. Quae iubentur custodiat. Fratres non
 contristet. Si quis frater ab eo forte aliqua irrationabiliter
 postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum
 humilitate male petenti denegat. Animam suam custodiat, memor
 semper illud Apostolicum quia *qui bene ministraverit, gradum
 bonum sibi acquirit.*^a Infirmorum, infantum, hospiti-
 um pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sine
 dubio quia pro his omnibus in die iudicii rationem redditurus est.
 Omnia vasa monasterii cunctamque substantiam ac si altaris vasa
 sacrata conspiciat. Nihil ducat negligendum. Neque avaritiae
 studeat, neque prodigus sit et stirpator substantiae monasterii;
 sed omnia mensurate faciat, et secundum iussionem abbatis.

9 Mar. Humilitatem ante omnia habeat, et cui sub-
 9 Julii stantia non est quae tribuatur, sermo respon-
 8 Nov. sionis porrigatur bonus, ut scriptum est:
Sermo bonus super datum optimum.^b Omnia quae ei

^a 1 Tim. iii. 13.

^b Ecclus. xviii. 17.

iniunxerit abbas ipsa habeat sub cura sua; a quibus eum prohibuerit non praesumat.³⁶⁻³⁷ Fratribus constitutam annonam sine aliquo typho vel mora offerat, ut non scandalizentur, memor divini eloquii, quid mereatur *qui scandalizaverit unum de pusillis*.^a Si congregatio maior fuerit, solatia ei dentur,³⁸ a quibus adiutus et ipse aequo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus et dentur quae danda sunt, et petantur quae petenda sunt: ut nemo perturbetur neque contristetur in domo Dei.

Declaratio. 'Eligatur de congregatione'.

—34. De Conciliariorum suorum consilio nominabit Abbas Cellerarium, qui suus non sit consanguineus intra tertium gradum.

Declaratio. 'Curam gerat de omnibus'.

—35. Cellerarius omnia monasterii temporalia administrabit sub Abbatis moderamine. Nihil igitur extra negotia ordinaria sui officii emere poterit aut vendere, donare, conducere, locare, mutuum dare aut sumere, sine eiusdem licentia vel expressa vel rationabiliter praesumpta. Saepius etiam cum Abbate de rebus sibi mandatis consilium conferat. Ineunte quolibet mense libros computi Abbati, et exeunte quolibet semestri Abbati ac Conciliaris examinandos tradet. Quolibet etiam anno in Capitulo conventuali fiet examen a duobus computatoribus, uno a Capitulo, altero ab Abbate eligendis, omnium omnino computorum conventus; securitates, ut aiunt, inspicientur et relatio accurata ad ipsum Capitulum dabitur. Horum computatorum tamen non est se ingerere administrationi conventus, sed solummodo has securitates examinare, et inspectionem generalem facere, ut Capitulo

^a Matth. xviii. 6.

testimonium dare possint bona conventus non dilapidari sed tuta et secura exstare.

Declaratio. 'A quibus eum prohibuerit (abbas) non prae-sumat'.

—36. Cum commune missionum depositum a monasterii pecuniis distinctum servari debet, Abbati stricte iniungimus ut aliquem prudentem monachum a Cellerario diversum nominet, qui, sub titulo Oeconomi depositi missionarii, illud depositum administret sub moderamine Abbatis cum Conciliaris.

—37. Hic Oeconomus segregatim pecunias sibi commissas apud nummularium tenebit. Si autem Abbati visum fuerit aliquid aliud ab immediata Cellerarii administratione remove, administratori non permittet pecunias apud nummularium servare, sed monasterii reditus penes Cellerarium sit.

Declaratio. 'Solatia ei dentur'.

—38. Cellerario, si indigeat auxiliis, dentur officiales qui muneris onus ei levent, inter quos enumerantur Procurator, Vestiarius, culinae Praefectus, Computator, Hortulanus, et alii.

CAPUT XXXII

DE FERRAMENTIS VEL REBUS MONASTERII

¹⁰ Mar. SUBSTANTIA monasterii in ferramentis vel
¹⁰ Julii vestibus, seu quibuslibet rebus, praevideat
⁹ Nov. abbas fratres de quorum vita et moribus
securus sit: et eis singula, ut utile iudicaverit,
consignet custodienda atque recolligenda. Ex qui-
bus abbas brevem teneat, ut dum sibi in ipsa assi-
gnata fratres vicissim succedunt, sciat quid dat aut
quid recipit. Si quis autem sordide aut negligenter
res monasterii tractaverit, corripiatur; si non emen-
daverit, disciplinae regulari subiaceat.

CAPUT XXXIII

SI QUID DEBEANT MONACHI PROPRIUM HABERE

¹¹ Mar. PRAECIPUE hoc vitium radicitus amputan-
¹¹ Julii dum est de monasterio, ne quis praesumat
¹⁰ Nov. aliquid dare aut accipere sine iussione abba-
 tis, neque aliquid habere proprium,³⁹⁻⁴⁴ nullam
 omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque
 graphium, sed nihil omnino: quippe quibus nec
 corpora sua nec voluntates licet habere in propria
 potestate; omnia vero necessaria a patre sperare
 monasterii, nec quicquam liceat habere, quod abbas
 non dederit aut permiserit. Omniaque omnibus
 sint communia, ut scriptum est, *nec quisquam suum*
aliquid dicat^a aut praesumat. Quod si quisquam
 huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari,
 admoneatur semel et iterum; si non emendaverit
 correptioni subiaceat.

Declaratio. 'Neque aliquid habere proprium.'

—39. 'Quo Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, praecipitur ut nullus ex fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia vel mobilia, aut pecuniam, proventus census, eleemosynas sive ex concionibus sive ex lectionibus, aut pro missis tam in propria ecclesia quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore et causa et quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum aut piorum largitiones legata aut donationes fuerint, tanquam propria aut

^a Act. iv. 32.

etiam nomine conventus possidere possit; sed ea omnia statim Superiori tradantur et conventui incorporentur, atque cum ceteris illius bonis redditibus pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit' (Clemens VIII. *Nullus omnino*).

—40. Quae in hoc capite S. Regulae de sancta paupertate dicta sunt ad verbum fratres nostri servabunt. Hinc nullus monachus pecunias aut munera retineat nec penes se nec penes aliam quamcumque personam; nec ullas pecunias etiam expendat nec munuscula donet, sine expressa Superioris sui licentia; sed unusquisque, intra viginti quatuor horarum spatium, quas penes se aliumve habuerit pecunias suo tradat Superiori in utilitatem conventus.

—41. Non tantum in abbatibus et in monasteriis magnis sed etiam in parvis prioratibus sex monachorum et amplius, fratres ad perfectam vitam communem tenentur. Ubi missionarii plures una considunt, ibi etiam commune aerarium constituendum est unde quantum cuique necesse est singulis provideatur. Bona parcimonialia, industrialia, et quaecumque alia quae per iura ecclesiastica non missioni sed missionario cedunt, monachi nostri missioni inservientes conventui suo acquirunt, et Superiori suo tradere tenentur in utilitatem conventus.

—42. Pensiones quae monachis conceduntur integrae solventur monasterio cuius ipsi fuerint professi, etsi forte alio loco degerint.

—43. Nemo civilia quorumcumque negotia quae sint alicuius momenti sine Superioris sui licentia tractabit, ut prius inquiretur an id eum deceat, vel an aliquid inde damni aut scandali oriri possit; nec Superior ipse id faciet sine Conciliariorum suorum consensu.

—44. Semel in anno unusquisque e nostris monachus, cuius-

cumque fuerit ordinis aut dignitatis, tam extra quam intra monasterium, accuratum suo Superiori (aut Visitatori) memoriale exhibebit omnium omnino rerum quas habeat quoquo modo ad usum, vel penes se in sua cella, vel alibi penes aliam quamcumque personam, religiosam aut secularem: in eoque speciatim exprimet quidquid cuivis alteri debeat ipse, vel a quovis altero sibi debeat. Memorialia singula leget Superior de verbo ad verbum, hinc ut iudicare possit quid cuique utile sit aut necessarium. Nemini autem habere permittet, nec ipse quidem habebit, ornamenta pretiosa, superflua aut profana; sed omnia ad mediocritatem religioso statui congruentem reducet. Curabunt Superiores, ut praesens Declaratio a monachis sibi subiectis ad amussim observetur.

CAPUT XXXIV

SI OMNES AEQUALITER DEBEANT NECESSARIA ACCIPERE

¹² Mar. Sicut scriptum est: *Dividebatur singulis prout*
¹² Julii *cuique opus erat.*^a Ubi non dicimus ut perso-
¹¹ Nov. narum, quod absit, acceptio sit, sed infirmitatum consideratio; ubi qui minus indiget, agat Deo gratias et non contristetur: qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia; et ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia, ne murmurationis malum pro qualicumque causa in aliquo qualicumque verbo vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit, districtiori disciplinae subdatur.

^a Act. iv. 35.

CAPUT XXXV

DE SEPTIMANARIIS COQUINAE

FRATRES sibi invicem serviant⁴⁵ et nullus excusetur a coquinae officio, nisi aut aegritudo, aut in causa gravis utilitatis quis occupatus fuerit; quia exinde maior merces et caritas acquiritur. Imbecilibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia, secundum modum congregationis aut positionem loci. Si maior fuerit congregatio, cellerarius excusetur a coquina; vel si qui, ut diximus, maioribus utilitatibus occupantur. Ceteri sibi sub caritate invicem serviant. Egressurus de septimana, sabbato munditias faciat. Lintea cum quibus sibi fratres manus ac pedes tergunt, lavet: pedes vero tam ipse qui egreditur quam ille qui intraturus est omnibus lavent. Vasa ministerii sui munda et sana cellerario reassignet; qui cellerarius item intranti assignet, ut sciat quod dat aut quod recipit.

Septimanarii autem ante unam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes et panem, ut hora refectio-
^{14 Mar.}
^{14 Julii}
^{13 Nov.} nis sine murmuratione et gravi labore serviant fratribus suis; in diebus tamen solemnibus usque ad Missas sustineant. Intrantes autem et exeuntes hebdomadarii in oratorio, mox Matutinis finitis, Dominica, omnium genibus provolvantur, postulantes pro se orari. Egrediens autem de septi-

mana dicat hunc versum: Benedictus es Domine Deus, qui adiuvistis me et consolatus es me.^a Quo dicto tertio, accepta benedictione egrediens, subsequatur ingrediens et dicat: *Deus in adiutorium meum intende; Domine ad adiuuandum me festina.*^b Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus, et accepta benedictione ingrediatur.

Declaratio. 'Sibi invicem seruiant.'

—45. Omnes monachi, exceptis Praelatis, viris capitularibus et Priore claustrali, sua quisque vice, fratribus per hebdomadam integram ministrabunt, cibos mensis apponendo.

^a Psalm. lxxxv. 17.

^b Psalm. lxxix. 2.

CAPUT XXXVI

DE INFIRMIS FRATRIBUS

^{15 Mar.} ^{15 Julii} ^{14 Nov.} INFIRMORUM cura ante omnia et super omnia
 adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita
 eis serviatur, quia ipse dixit: *Infirmus fui et
 visitastis me.*^a Et: *Quod fecistis uni de his minimis
 mihi fecistis.*^b Sed et ipsi infirmi considerent in
 honorem Dei sibi serviri, et non superfluitate sua
 contristent fratres suos servientes sibi. Qui tamen
 patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior
 merces acquiritur. Ergo cura maxima sit abbati
 ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratri-
 bus infirmis sit cella super se deputata, et servitor
 timens Deum,⁴⁶⁻⁴⁸ et diligens ac sollicitus. Balnearum
 usus infirmis quoties expedit offeratur: sanis autem,
 et maxime juvenibus, tardius concedatur. Sed et
 carniū esus infirmis omnino debilibus pro repara-
 tione concedatur; at ubi meliorati fuerint, a carni-
 bus more solito omnes abstineant. Curam autem
 maximam habeat abbas, ne a cellerariis aut a ser-
 vitoribus negligantur infirmi, et ipsum respicit
 quidquid a discipulis delinquitur.

Declaratio. 'Servitor timens Deum.'

—46. Monachum eliget Abbas qui circa fratres infirmos solli-
 citus sit, invigiletque ut cum omni caritate, tam in suis ipsorum
 cellis quam in valetudinario, tractentur. Ei liberum erit infirmi

^a Matth. xxv. 36.

^b *Ibid.* 40.

cellam ingredi; non vero ceteris monachis absque Abbatis licentia, vel expressa vel rationabiliter praesumpta; quam quidem licentiam, nisi expresse denegaverit Abbas, censebitur dedisse simul ac medicus infirmum visitaverit. Sed quando actus conventuales frequentare coepit infirmus, non diutius valebit eiusmodi licentia.

—47. Infirmarius diarium habebit, in quo diligenter notabit visitationes medici, simul ac praescripta. Nihil autem praescribet medicus coram infirmo.

—48. Magnopere curabit Abbas ut quidquid fuerit a medico praescriptum infirmo administretur. Quod si unquam suo erga infirmum officio defuerit, praesertim si eum saepius invisere piisque exhortationibus consolari neglexerit, a Praeside severe reprehendatur tempore Visitationis.

CAPUT XXXVII

DE SENIBUS VEL INFANTIBUS

¹⁶ Mar. LICET ipsa natura humana trahatur ad
¹⁶ Julii misericordiam in his aetatibus, senum vide-
¹⁵ Nov. licet et infantum, tamen et Regulae auctoritas
eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecil-
litas, et nullatenus eis districtio Regulae teneatur
in alimentis; sed sit in eis pia consideratio, et
praeveniant horas canonicas.

CAPUT XXXVIII

DE HEBDOMADARIO LECTORE

^{17 Mar.} ^{17 Julii} ^{16 Nov.} **MENSIS** fratrum edentium lectio deesse non debet, ⁴⁹⁻⁵⁰ nec fortuito casu qui arripuerit codicem legere ibi, sed lecturus tota hebdomada Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post Missas et Communionem petat ab omnibus pro se orari, ut avertat ab ipso Deus spiritum elationis. Et dicatur hic versus in oratorio tertio ab omnibus, ipso tamen incipiente: *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam;*^a et sic accepta benedictione, ingrediatur ad legendum. Et summum fiat silentium, ut nullius mussitatio vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. Quae vero necessaria sunt comedentibus et bibentibus, sic sibi vicissim ministrent fratres, ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscumque signi potius petatur quam voce. Nec praesumat ibi aliquis de ipsa lectione aut aliunde quicquam requirere, ne detur occasio; nisi forte prior pro aedificatione voluerit aliquid breviter dicere. Frater autem lector hebdomadarius accipiat mixtum priusquam incipiat legere, propter Communionem sanctam, et ne forte grave sit ei ieiunium sustinere; postea autem cum coquinae hebdomadariis et servitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem

^a Psalm. l. 17.

legant aut cantent, sed qui aedificant audientes.

Declaratio. 'Lectio deesse non debet.'

—49. Legatur primum Scriptura Sacra; deinde homilia, vita alicuius Sancti, historia ecclesiastica aut liber aliquis pius.

—50. Lectoris officio per hebdomadam integram fungentur omnes ex ordine, exceptis Praelatis, viris capitularibus et Priore claustrali. Unusquisque demissis oculis attendat lectioni; quocirca Superior de rebus in refectorio perlectis iuniores examinare assuescat, negligentesque castiget. Accurate etiam seruentur caeremoniae quae descriptae habentur in Caeremoniali.

CAPUT XXXIX

DE MENSURA CIBI

^{18 Mar.}
^{18 Julii}
^{17 Nov.} SUFFICERE credimus ad refectionem quotidianam tam sextae quam nonae, omnibus mensibus cocta duo pulmentaria, propter diversorum infirmitates; ut forte qui ex illo non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant; et si fuerit unde poma aut nascentia leguminum, addatur et tertium.⁵¹ Panis libra una⁵² propensa sufficiat in die, sive una sit refectio, sive prandii et coenae. Quod si coenaturi sunt, de eadem libra tertia pars a cellerario servetur, reddenda coenandis. Quod si labor forte factus fuerit maior, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat, aliquid augere, remota prae omnibus crapula, et ut nunquam subripiat monacho indigeries: quia nihil sic contrarium est omni Christiano quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: *Videte ne graventur corda vestra in crapula.*^a Pueris vere minore aetate non eadem servetur quantitas, sed minor quam maioribus, servata in omnibus parcitate. Carnium vero quadrupedum omnimodo ab omnibus abstineatur comestio, praeter omnino debiles⁵³ aegrotos.

Declaratio. 'Addatur et tertium.'

—51. Sive in prandio sive in coena, curabit Superior ita copia

^a Luc. xxi. 34.

et varietate ciborum necessitatibus fratrum providere, ut frugalitati religiosae consulatur, et simul ut nemo rationabilem causam conquerendi habeat; et tempore Visitationis, Praesidis erit inquirere an Superior in hoc remissus fuerit, per nimiam parcimoniam vel nimiam prodigalitem. In Quadragesima et in aliis ieiuniis ecclesiasticis, curent Superiores ut varientur fercula, ita ut debilibus infirmaque laborantibus valetudine subveniatur.

Declaratio. 'Panis libra una.'

—52. Unicuique dabitur quantum panis opus fuerit.

Declaratio. 'Praeter debiles.'

—53. Pro regionis quam incolimus inclementia, necnon laboribus quibus in educanda studiosa iuventute, in munere pastorali, aliisque negotiis exercendis occupamur, indulgentiam quam SS. Pater (Capite xxxvii) concedit, ut horas videlicet refectionis per Regulam constitutas praeveniant, ad omnes nostros fratres in praesenti extendimus; et quidem eo sensu, ut diebus non esurialibus hora matutina ientaculum omnibus concedimus. Esus etiam carniū nostris permittitur in prandio omnibus diebus quibus per ecclesiasticas leges licet, et quidem bis in die cum rationabilis causa id exposcit.

CAPUT XL

DE MENSURA POTUS

19 Mar. *Unusquisque proprium habet donum ex Deo,*
19 Julii *alius sic, alius vero sic;*^a et ideo cum aliqua
18 Nov. scrupulositate a nobis mensura victus aliorum
constituitur; tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiae, propriam se habituros mercedem sciant.

Quod si aut loci necessitas, vel labor aut ardor aestatis amplius poposcerit, in arbitrio prioris consistat, considerans in omnibus ne subrepat satietas aut ebrietas. Licet legamus vinum omnino monachorum non esse, sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius: quia *vinum apostatate facit etiam sapientes.*^b Ubi autem necessitas loci exposcit, ut nec suprascripta mensura inveniri possit, sed multo minus aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant, et non murmurent: hoc ante omnia admonentes, ut absque murmurationibus sint.

^a 1 Cor. vii. 7.

^b Ecclus. xix. 2.

CAPUT XLI

QUIBUS HORIS OPORTET REIFICERE FRATRES

^{20 Mar.} A SANCTO Pascha usque Pentecosten ad sex-
^{20 Julii} tam reficiant ⁵⁴⁻⁵⁵ fratres, et sera coenent. A
^{19 Nov.} Pentecoste autem tota aestate, si labores
 agrorum non habent monachi, aut nimietas aestatis
 non perturbat, quarta et sexta feria ieiunent usque
 ad nonam: reliquis diebus ad sextam prandeant.
 Quae prandii sexta, si operas in agris habuerint, aut
 aestatis fervor nimius fuerit, continuanda erit, et in
 abbatis sit providentia. Et sic omnia temperet
 atque disponat, qualiter et animae salventur, et
 quod faciunt fratres absque iusta murmuratione
 faciant. Ab Idibus autem Septembris usque ad
 caput Quadragesimae ad nonam semper reficiant.
 In Quadragesima vero usque Pascha ad vesperam
 reficiant. Ipsa tamen Vespera sic agatur, ut lumine
 lucernae non indigeant reficientes, sed luce adhuc
 diei omnia consummentur. Sed et omni tempore
 sive coena sive refectionis hora sic temperetur, ut
 luce fiant omnia.

Declaratio. ‘Ad sextam reficiant.’

—54. De horis prandendi coenandique statuatur Superior cum Conciliariis pro commoditate conventus et consuetudine locorum.

—55. Nemo, sine peculiari causa et expressa Superioris licentia, cibum sumat extra refectōrium, vel alio tempore aliove cibo

vescatur atque ceteri fratres; sed omnes simul prandeant et coenent, simul ieiunent et abstineant, ut vel minima discriminis nota effugiatur.

CAPUT XLII

UT POST COMPLETORIUM NEMO LOQUATUR

²¹ Mar. ²¹ Julii ²⁰ Nov. OMNI tempore silentio debent studere⁵⁶⁻⁵⁷
 monachi, maxime tamen nocturnis horis. Et
 ideo omni tempore, sive ieiunii sive prandii,
 si tempus fuerit prandii, mox surrexerint a coena,
 sedeant omnes in unum et legat unus Collationes⁵⁸
 vel Vitas Patrum, aut certe aliud quod aedificet
 audientes; non autem Heptateucum aut Regum,
 quia infirmis intellectibus non erit utile illa hora
 hanc Scripturam audire; aliis vero horis legantur.
 Si autem ieiunii dies fuerit, dicta Vespera, parvo
 intervallo mox accedant ad lectionem Collationum,
 ut diximus; et lectis quatuor aut quinque foliis,
 vel quantum hora permittit, omnibus in unum
 occurrentibus per hanc moram lectionis, si quis
 forte in assignato sibi commisso fuerit occupatus.
 Omnes ergo in unum positi compleant, et exeuntes
 a Completoriis nulla sit licentia denuo cuiquam
 loqui aliquid. Quod si inventus fuerit quisquam
 praevaricare hanc taciturnitatis regulam, gravi vin-
 dictae subiaceat; excepto si necessitas hospitem
 supervenerit, aut forte abbas alicui aliquid iusserit.
 Quod tamen et ipsud cum summa gravitate et
 moderatione honestissime fiat.

Declaratio. 'Silentio debent studere.'

—56. Disciplinae regularis pars magna et religiosae perfectioni
 intime adnexa est taciturnitas, id est suis temporibus et locis

accurata silentii observatio. Tota die, temporibus relaxationis exceptis, silentium in monasterio servetur; ad primum autem sonum campanae qui recreationis finem indicat ne inchoata quidem locutio conficiatur.

—57. Post Completorium silentium studiosissime sanctum servetur atque inviolatum, a quo si quando necessitas vel specialis licentia excusat, signa potius quam verba adhibeantur.

Declaratio. 'Legat unus Collationes.'

—58. Quibus diebus non habetur collatio spiritualis, fratres per semihoram lectioni libri alicuius spiritualis incumbant.

CAPUT XLIII

DE HIS QUI AD OPUS DEI VEL AD MENSAM TARDE
OCCURRUNT

AD horam divini Officii, mox auditum fuerit
^{22 Mar.} ^{22 Julii} ^{21 Nov.} signum, relictis omnibus quaelibet fuerint in
 manibus, summa cum festinatione curratur;
 cum gravitate tamen, ut non scurrilitas inveniat
 fomitem. Ergo nihil Operi Dei praeponatur.⁵⁹

Quod si quis in nocturnis Vigiliis post *Gloriam*
 psalmi nonagesimi quarti, quem propter hoc omnino
 subtrahendo et morose volumus dici, occurrerit,
 non stet in ordine suo in choro, sed ultimus om-
 nium stet, aut in loco quem talibus negligentibus
 seorsum constituerit abbas, ut videantur ab ipso
 vel ab omnibus; usque dum completo Opere Dei,
 satisfactione publica⁶⁰ poeniteat. Ideo autem eos in
 ultimo aut seorsum iudicavimus debere stare, ut
 visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua
 emendent. Nam si foris oratorium remaneant, erit
 forte talis qui se aut recollocet et dormiat, aut certe
 sedeat sibi foris, vel fabulis vacet, et detur occasio
 maligno; sed ingrediantur intus, ut nec totum
 perdant, et de reliquo emendent. Diurnis autem
 Horis, qui ad Opus Dei post versum et *Gloriam*
 primi psalmi qui post versum dicitur, occurrerit,
 lege qua supradiximus, in ultimo stet: nec prae-
 sumat sociari choro psallentium usque ad satisfactio-
 nem, nisi forte abbas licentiam dederit remissione
 sua; ita tamen ut satisfaciat reus ex hoc.

²³ Mar. Ad mensam autem qui ante versum non
²³ Julii occurrerit, ut simul omnes dicant versum et
²² Nov. orent, et sub uno omnes accedant ad mensam;
 qui per negligentiam suam aut vitio non occurrerit,
 usque secundam vicem pro hoc corripatur: si denuo
 non emendaverit, non permittatur ad mensae com-
 munitatis participationem, sed sequestratus a consortio
 omnium reficiat solus, sublata ei portione sua vini,
 usque ad satisfactionem et emendationem. Similiter
 autem patiatur qui et ad illum versum non fuerit
 praesens qui post cibum dicitur. Et ne quis prae-
 sumat ante statutam horam vel postea quidquam
 cibi aut potus praesumere. Sed et si cui offertur
 aliquid a priore et accipere renuit, hora qua desi-
 deraverit hoc quod prius recusavit aut aliud, omnino
 nihil percipiat, usque ad emendationem congruam.

Declaratio. 'Nihil Operi Dei praeponatur.'

—59. 'Oratione in communi facta Deus potissimum placatur. Fieri non potest ut tam bene oretur alibi quam in ecclesia ubi tot fratres, ubi clamor felici societate excitatus ad Deum immortalem refertur. Non pariter exoras quum solus Dominum obsecras atque ubi tuis cum fratribus.' (Chrysostomus, *De Incomprehensibili*, Homil. iii § 6; Homil. iv in 2 Thess.).

Declaratio. 'Satisfactione publica.'

—60. Si quis ad chorum venerit finito primo psalmo, vel ad mensam completa benedictione, in medio genuflectat si iunior est, profunde se inclinet si senior, usque ad signum Superioris. Ad Matutinum vero satisfactionem faciat ut in Regula.

CAPUT XLIV

DE HIS QUI EXCOMMUNICANTUR QUOMODO SATISFACIANT

²⁴ Mar. **QUI** pro gravibus culpis ab oratorio et a
²⁴ Julii mensa excommunicatur, hora qua Opus Dei
²³ Nov. in oratorio percelebratur, ante fores oratorii
 prostratus iaceat nihil dicens, nisi tantum posito in
 terra capite stratus pronus omnium de oratorio
 exeuntium pedibus. Et hoc tamdiu faciat usque
 dum abbas iudicaverit satisfactum esse. Qui dum
 iussus ab abbate venerit, volvat se ipsius abbatis
 deinde omnium vestigiis, ut orent pro ipso. Et
 tunc, si iusserit abbas, recipiatur in choro vel ordine
 quo abbas decreverit: ita sane, ut psalmum aut
 lectionem vel aliud quid non praesumat in oratorio
 imponere, nisi iterum abbas iubeat. Et omnibus
 Horis, dum percompletur Opus Dei, proiciat se in
 terram in loco in quo stat; et sic satisfaciat, usque
 dum ei iubeat iterum abbas, ut quiescat iam ab hac
 satisfactione. Qui vero pro levibus culpis excom-
 municantur tantum a mensa, in oratorio satisfaciant
 usque ad iussionem abbatis. Hoc perficiant usque
 dum benedicat et dicat: Sufficit.

CAPUT XLV

DE HIS QUI FALLUNTUR IN ORATORIO

25 Mar. Si quis, dum pronuntiat psalmum, respon-
25 Julii sorium, antiphonam, vel lectionem, fefellerit,
24 Nov. nisi satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictae subiaceat; quippe qui noluit humilitate corrigere quod negligentia deliquit. Infantes autem pro tali culpa vapulent.

CAPUT XLVI

DE HIS QUI IN ALIIS QUIBUSLIBET REBUS DELINQUUNT

^{26 Mar.} Si quis dum in labore quovis, in coquina, in
^{26 Julii} cellarario, in ministerio, in pistrino, in horto,
^{25 Nov.} in arte aliqua dum laborat, vel in quocumque
 loco aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam aut
 perdiderit, vel aliud quid excesserit ubiubi, et non
 veniens continuo ante abbatem vel congregationem,⁶¹
 ipse ultro satisfecerit et prodiderit delictum suum;
 dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat
 emendationi. Si animae vero peccati causa fuerit
 patefaciat,⁶²⁻⁶³ qui sciant curare et sua et aliena
 vulnera, non detegere et publicare.

Declaratio. 'Ante abbatem vel congregationem.'

—61. Semel in hebdomada habeatur Capitulum quod vocant culparum. In hoc accusantur excessus externi parvae materiae, ex inadvertentia vel fragilitate contra regularem observantiam vel fraternam caritatem admissi. Tales censentur: si frater ad Officium Divinum vel ad commune exercitium sero venerit; si in choro curiose circumspexerit; si in choro vel in communi exercitio somno victus fuerit; si temere violaverit silentium diurnum, aut altiore voce horis locisve interdictis locutus fuerit; si gestus parum monasticos ediderit; si cum fastu locutus fuerit; si quid cum acerbitate vel pertinacia contenderit; si parum verecunde officioseque se gesserit erga superiores; si cunctanter obedierit; si leviter praeceptum S. Regulae vel Declarationem laeserit; et aliae huiusmodi transgressiones vel negligentiae.

Declaratio. 'Spiritibus senioribus patefaciat.'

—62. Confessarios nominabit Abbas in Concilio, praemisso eorum examine, et curet ut in monasterio non desit confessariorum copia. Cuncti fratres tam clerici quam laici singulis hebdomadis ad Sacramentum poenitentiae accedant, et Superioris erit sollicite vigilare ut praescriptio haec impleatur. Iter agentibus liberum erit coram quovis sacerdote idoneo confiteri si desit confessarius idoneus nostri Ordinis.

—63. Mandamus sub poena culpae gravi debita, ne quis petat ab Episcopo dioecesis facultatem confessiones externorum audiendi, aut verbum Dei annuntiandi, neve alterutra facultate sic obtenta utatur, sine expressa Superioris sui licentia. Ad feminarum confessiones audiendas designetur nemo (nisi aliter facto opus sit) qui trigesimum aetatis suae annum non compleverit.

CAPUT XLVII

DE SIGNIFICANDA HORA OPERIS DEI

²⁷ Mar. NUNTIANDA hora Operis Dei die noctuque
²⁷ Julii sit cura abbati, aut ipse nuntiare, aut tali
²⁶ Nov. sollicito fratri iniungat hanc curam, ut omnia
 horis competentibus compleantur. Psalmos autem
 vel antiphonas post abbatem, ordine suo, quibus
 iussum fuerit, imponant. Cantare autem et legere
 non praesumat, nisi qui potest ipsud officium implere
 ut aedificentur audientes;⁶⁴ quod cum humilitate
 et gravitate et tremore fiat, et cui iusserit abbas.

Declaratio. 'Ut aedificentur audientes.'

—64. Qui publice aliquid cantare aut legere debent, praevideant
 lectiones, praeparentque libros tempore congruo, ut convenienter
 id munus persolvant, neve ulla ex incuria perturbatio fiat.

CAPUT XLVIII

DE OPERA MANUUM QUOTIDIANA

^{28 Mar.} OTIOSITAS inimica est animae; et ideo certis
^{28 Julii} temporibus occupari debent fratres⁶⁵ in labore
^{27 Nov.} manuum, certis iterum horis in lectione⁶⁶⁻⁷⁵
divina. Ideoque hac dispositione credimus utraque
tempora ordinari: id est, ut a Pascha usque Kalendas
Octobris a mane exeuntes a prima usque horam
pene quartam laborent quod necessarium fuerit.
Ab hora autem quarta usque horam quasi sextam
agentem lectioni vacent. Post sextam autem sur-
gentes a mensa, pausent in lectis suis cum omni
silentio; aut forte qui voluerit sibi legere, sic legat
ut alium non inquietet. Et agatur Nona temperius,
mediante octava hora: et iterum quod faciendum
est operentur usque ad vesperam. Si autem neces-
sitas loci aut paupertas exegerit, ut ad fruges
recolligendas per se occupentur, non contristentur;
quia tunc vere monachi sunt,⁷⁶ si labore manuum
suarum vivunt, sicut et patres nostri et Apostoli.
Omnia tamen mensurate fiant propter pusillani-
mes.⁷⁷⁻⁷⁸

^{29 Mar.} A Kalendis autem Octobris usque caput
^{29 Julii} Quadragesimae, usque in horam secundam
^{28 Nov.} plenam lectioni vacent: hora secunda agatur
Tertia; et usque nonam omnes in opus suum
laborent quod eis iniungitur. Facto autem primo
signo nonae horae, disiungant se ab opera sua

singuli, et sint parati dum secundum signum pulsaverit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis aut psalmis.

In Quadragesimae vero diebus, a mane usque tertiam plenam vacent lectionibus suis, et usque decimam plenam operentur quod eis iniungitur. In quibus diebus Quadragesimae accipiant omnes singulos codices de bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant: qui codices in capite Quadragesimae dandi sunt. Ante omnia sane deputentur unus aut duo seniores, qui circumeant monasterium horis quibus vacant fratres lectioni, et videant ne forte inveniatur frater acediosus, qui vacat otio aut fabulis, et non est intentus lectioni, et non solum sibi inutilis est, sed etiam alios distollit. Hic talis, si, quod absit, repertus fuerit, corripiatur semel et secundo: si non emendaverit, correptioni regulari subiaceat taliter ut ceteri timeant. Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus.

³⁰ Mar. Dominico item die lectioni vacent omnes,
³⁰ Julii exceptis his qui variis officiis deputati sunt.
²⁹ Nov. Si quis vero ita negligens et desidiosus fuerit, ut non velit aut non possit meditari aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, ut non vacet. Fratribus infirmis aut delicatis talis opera aut ars iniungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur aut effugentur; quorum imbecillitas ab abbate consideranda est.

Declaratio. 'Occupari debent fratres.'

—65. Occupationis diurnae dispositio erit penes monasterii Superiorem atque Conciliarios,

Declaratio. 'Certis horis in lectione.'

—66. In singulis Congregationis nostrae collegiis observabuntur omnia quae pro monasteriis statuta sunt, nisi aliter a Regimine ordinatum fuerit. Et quoniam praecipua atque illustris regularium Ordinum laus semper fuit litterarum studia excolere, fovere, ac tot eruditis doctis laboriosisque operibus humanarum divinarumque rerum scientiam illustrare, idcirco omnes Superiores excitamus et monemus ut maxima cura sollertiaque rectam studiorum rationem promovere velint, ut monachi in litteras humaniores et sacras addiscendas constanter incumbant.

—67. Completis studiis humanioribus et rhetoricis, incipit curriculum philosophiae, quod duorum erit annorum; theologiae vero trium aut quatuor. In iis studiis alumni secundum disciplinam divi Thomae instruantur. Non facile amovebitur quispiam a studiis, nisi Superior pro cuius monasterio ille professionem emiserit, cum consensu duorum e tribus partibus Conciliariorum, opera eius ad annum indigeat. Post vota simplicia emissa recens professus saltem unum annum in monasterio in quo novitatum transegit, sub cura Magistri novitiorum manebit: inter novitios erit, sed studiis philosophicis et humanioribus incumbet. Iunior quivis per triennium, vel saltem per biennium, in Monasterio S. Michaelis apud Belmont, vel in alia communi studiorum domo nostrae Congregationis a Capitulo Generali designanda, vel in Collegio Anselmiano in Urbe, commorabitur ad curriculum studiorum philosophicorum vel theologicorum peragendum. Attento hodierno scientiarum progressu, durante hoc curriculo quantum fieri potest in litteris humanioribus, scientiis physicis mathematicisque, et aliis huiusmodi instruantur.

—68. Post cursum philosophiae confectum, theologiae dogmaticae, moralis et pastoralis, item iuris pontificii, Sacrarum Litterarum studiis per quadriennium operentur. Sacrae theologiae

alumnos erudiendis ephebis destinari, nisi necessitas coegerit, ne liceat; ad horas plusquam octo in hebdomada destinari nunquam licebit.

—69. Superior communis studiorum domus a Capitulo Generali quarto quoque anno eligendus est; si intra quadriennium deficit, a Praeside et Assistantibus. Dum vero huiusmodi Superior officium gerat Prioris Cathedralis Neoportensis, ex iis eligatur quos venerabile Capitulum huius Ecclesiae praesentaverit. Praefectus studiorum pariter a Capitulo Generali nominandus est. Delectio autem aliorum professorum, dispositio horarum et tota ratio studiorum penes Praesidem et Praelatos monasteriorum sit, cooptato Magistro scholarum.

—70. Ad maius incrementum studiorum pietati, missioni apostolicae, et pueris in litteris humanioribus educandis congruentium, Superioribus conventuum licebit, obtento prius Concilii seniorum consensu, fratres suos ad hoc idoneos in quibuslibet nostri Ordinis, quamvis alienae Congregationis, monasteriis audiendi gratia collocare. In eundem porro finem, Praeses Superiores quoscumque in studiis fovendis iuvandisque remissos, ad diligentiam non excitare solum poterit, verum etiam tempore Visitationis suae compellere.

—71. Fratres collegiales in studiis suis litterariis saepe publica oratione sese exercent, ut quando tempus praedicandi venerit, incepto scilicet cursu theologico et diaconatu accepto, ad publicas conciones habendas sint parati.

—72. Magister scholarum collegiales omnes examinabit et viva voce et in scriptis; absolutoque examine fidelem Praesidi de uniuscuiusque progressu in studiis rationem scriptam reddet.

—73. Licebit professori culpas quaslibet a suis auditoribus, vel in schola, vel in iis quae ad studia spectent admissas, iis punire

poenis quae pro culpis levibus assignantur, Num. 29. Alias ipsis poenitentias non imponet, nec ullas quidem pro aliis culpis: harum enim cognitio ad eum minime pertinet. Quas imposuerit poenitentias potest ipse remittere, vel qui praesidet collegio: hic tamen in iisdem remittendis facilem se nunquam praebebit, ne professoris contemnatur iurisdictio.

—74. Mittendi ad collegium, domum studiorum, vel tirocinium vestimenta omnia erunt nova; et Superior a quo mittitur pro eius victu cultuque annuam solvet pensionem, a Capitulo Generali, pro rerum ac temporum circumstantiis, statuendam. Ex hac pensione Superior domus collegialis, quamdiu apud ipsum habitaverit, necessaria suppeditabit omnia. Viaticum eunti et redeunti dabit Superior eius monasterii quod ille sibi in votis nuncupandis adoptaverit.

—75. Licebit singulis coenobiorum Abbatibus, sacrae theologiae alumnos in alio coenobio collocare, dummodo ibi vita exerceatur monastica nihilque necessarii ad studia sacra rite peragenda desit.

Declaratio. ‘Tunc vere monachi sunt.’

—76. Opus manuum pro monachis nostris in eo fere consistit, ut cellam, vestimenta, ecclesiam, sacristiam aliaque ipsis commissa, munda et bene ordinata conservent. Si quid forte ulterius vel ob propriam indolem, vel ob monasterii necessitatem alicui fuerit iniunctum, id alacri animo perficiat.

Declaratio. ‘Omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes.’

—77. Recreatio non tantum corpori sed etiam spiritui et utilis et necessaria est, ut orationi et labori melius inserviamus. Conceditur ergo tempus relaxationis ac colloquii, cuius mensuram constituat Abbas iuxta locorum et temporum conditionem ac laborum qualitatem. Ad minimum singulis diebus post prandium

et coenam hora integra concedatur, ut fratres mutuis inter se colloquiis animos relaxent. Nemo ad relaxationem quaerendam se a fratribus seiungat sine iusta causa vel cum Superioris permissu, ne caritas fraterna minuatur.

—78. Quolibet anno, ad finem anni scholastici, per mensem integrum concedatur recreatio; item a vigilia Nativitatis Domini usque ad festum Epiphaniae inclusive. Hisce remissionis hebdomadis fratres ad nulla omnino teneantur exercitia praeterquam ad Divinum Officium, quod semper consuetis horis cantetur aut recitetur pro cuiusque monasterii consuetudine, et ad orationem mentalem. Ecclesiam adeant per choros, sic ut altera die chorus dexter, altera sinister, totum persolvat Officium; excepta Missa conventuali, cui chorus uterque quotidie intererit. Singulis mensibus concedatur dies unus pro honesta animi relaxatione cum iisdem remissionibus.

CAPUT XLIX

DE QUADRAGESIMAE OBSERVATIONE

³¹ Mar. LICET omni tempore vita monachi Quadra-
³¹ Julii gesimae debet observationem habere, tamen
³⁰ Nov. quia paucorum est ista virtus, ideo suademus
istis diebus Quadragesimae omni puritate vitam
suam custodire, omnes pariter et negligentias aliorum
temporum his diebus sanctis diluere.⁷⁹ Quod tunc
digne fit, si ab omnibus vitiis temperamus, orationi
cum fletibus, lectioni, et compunctioni cordis, atque
abstinentiae operam damus. Ergo his diebus
augeamus nobis aliquid solito penso servitutis
nostrae, orationes peculiare, ciborum et potus
abstinentiam; ut unusquisque super mensuram sibi
indictam aliquid propria voluntate cum gaudio Sancti
Spiritus offerat Deo: id est, subtrahat corpori suo
de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de
scurrilitate, et cum spiritalis desiderii gaudio sanctum
Pascha expectet. Hoc ipsud tamen quod unusquis-
que offert, abbati suo suggerat, et cum eius fiat
oratione et voluntate: quia quod sine permissione
patris spiritalis fit, praesumptioni deputabitur et
vanae gloriae, non mercedi. Ergo cum voluntate
abbatis omnia agenda sunt.

Declaratio. 'His diebus sanctis diluere.'

—79. Ineunte Quadragesima legatur hoc caput in capitulo, et

Praelatus, facta pia exhortatione, pronuntiabit absolutionem a censuris sub forma a SS. D. N. Leone PP. XIII die 7 Julii 1882 edita. In eodem capitulo vel in Capitulo conventuali omnes monasterii officiales in manu Praelati munera sua reponent.

CAPUT L

DE FRATRIBUS QUI LONGE AB ORATORIO LABORANT AUT
IN VIA SUNT

¹ Apr. FRATRES qui omnino longe sunt in labore,
¹ Aug. et non possunt occurrere hora competenti ad
¹ Dec. oratorium, et abbas hoc perpendit quia ita
est, agant ibidem Opus Dei ubi operantur, cum
tremore divino flectentes genua. Similiter qui in
itinere directi sunt, non eos praetereant horae
constitutae: sed ut possunt agant sibi, et servitutis
pensum non negligant reddere. ⁸⁰⁻⁸¹

Declaratio. 'Servitutis pensum non negligant reddere.'

—80. In missionem apostolicam mittatur nemo nisi maturus
moribus, aetate, scientia: nec nisi ex licentia Praesidis et Concilii
eius; nec qui ad id munus indolem et facultatem non habeat.

—81. Valde optandum est ut patres qui in missionibus resident,
modo vivendi qui in monasteriis servatur, quantum prudenter
feri potest, se conforment. Qui fratres studium in eo potissimum
ponant, ne cum reliqua omnia bene curaverint, seipsos negligant.
Nunquam obliviscantur se etiam extra claustrum monachos
manere, et hinc sub gravi obstrictos esse ut vota promissa
adimpleant, et jugiter secundum S. Regulam ad perfectionem
aspirent.

CAPUT LI

DE FRATRIBUS QUI NON SATIS LONGE PROFICISCUNTUR

^{2 Apr.} FRATER qui pro quovis responso dirigitur, et
^{2 Aug.} ea die speratur reverti ad monasterium, non
^{2 Dec.} praesumat foris manducare, etiamsi omnino
rogetur a quovis: nisi forte ei ab abbate suo prae-
cipiatur. Quod si aliter fecerit, excommunicetur.

CAPUT LII

DE ORATORIO MONASTERII

³ Apr. ORATORIUM hoc sit quod dicitur, nec ibi
³ Aug. quidquam aliud geratur aut condatur. Expleto
³ Dec. Opere Dei omnes cum summo silentio
exeant, et habeatur reverentia Deo; ⁸² ut frater qui
forte sibi peculiariter vult orare, non impediatur
alterius improbitate. Sed si aliter vult sibi forte
secretius orare, simpliciter intret et oret; non in
clamosa voce, sed in lacrymis et intentione cordis.
Ergo qui simile opus non facit, non permittatur,
explicito Opere Dei, remorari in oratorio, sicut
dictum est, ne alius impedimentum patiatur.

Declaratio. 'Reverentia Deo.'

—82. Cum in ipsa ecclesia, tum in singulis ecclesiae ornamen-
tis, vestibis sacris, ceteraque suppellectili divino cultui consecrata,
summa servetur mundities: et calices praesertim, patenae,
corporalia, mappaeque altaris, semper mundissima sint, aptisque
in locis custodiantur. Sacristae a Superiore nominati erit
omnia ad ecclesiam spectantia curare.

CAPUT LIII

DE HOSPITIBUS SUSCIPIENDIS

^{4 Apr.} OMNES supervenientes hospites tamquam
^{4 Aug.} Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est:
^{4 Dec.} *Hospes fui, et suscepistis me.*^a Et omnibus
 congruus honor⁸³ exhibeatur, maxime domesticis
 fidei et peregrinis. Ut ergo nuntiatus fuerit hospes,
 occurratur ei a priore vel a fratribus cum omni
 officio caritatis; et primitus orent pariter, et sic sibi
 socientur in pace. Quod pacis osculum non prius
 offeratur nisi oratione praemissa, propter illusiones
 diabolicas. In ipsa autem salutatione omnis
 exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus sive
 discedentibus hospitibus, inclinato capite vel pro-
 strato omni corpore in terra, Christus in eis
 adoretur, qui et suscipitur.

Suscepti autem hospites ducantur ad orationem,
 et postea sedeat cum eis prior, aut cui iusserit ipse.
 Legatur coram hospite lex divina ut aedificetur, et
 post haec omnis ei exhibeatur humanitas. Ieiunium
 a priore frangatur propter hospitem, nisi forte
 praecipuus sit dies ieiunii qui non possit violari;
 fratres autem consuetudines ieiuniorum prose-
 quantur. Aquam in manibus abbas hospitibus det;
 pedes hospitibus omnibus tam abbas quam cuncta
 congregatio lavet; quibus lotis, hunc versum dicant:
Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi

^a Matth. xxv. 35.

tui.^a Pauperum et peregrinorum maxime susceptioni cura sollicite exhibeatur, quia in ipsis magis Christus suscipitur; nam divitum terror ipse sibi exigit honorem.

5 Apr. Coquina abbatis et hospitem super se sit,
 5 Aug. ut incertis horis supervenientes hospites, qui
 5 Dec. nunquam desunt monasterio, non inquietentur fratres. In quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsud officium bene impleant. Quibus, ut indigent, solatia administrentur, ut absque murmuratione serviant: et iterum quando occupationem minorem habent, exeant ubi eis imperatur in opera. Et non solum ipsis, sed et in omnibus officiis monasterii ista sit consideratio, ut quando indigent solatia accommodentur eis; et iterum quando vacant obediant imperatis. Item et cellam hospitem habeat assignatam frater cuius animam timor Dei possidet; ubi sint lecti strati sufficienter, et domus Dei a sapientibus et sapienter administretur.⁸⁴⁻⁸⁷ Hospitibus autem cui non praecipitur nullatenus societur⁸⁸ neque colloquatur: sed si obviaverit aut viderit, salutatis humiliter, ut diximus, et petita benedictione, pertranseat dicens sibi non licere colloqui cum hospite.

Declaratio. 'Congruus honor.'

—83. Cum haec congruitas ex variis locorum et temporum circumstantiis pendeat, satis providetur observationi huius S. Regulae capitis si Abbas per se vel per alium, in spiritu fidei et caritatis, exhibeat peregrinis et hospitibus, pauperibus aequè

^a Psalm. xlvii. 10.

ac divitibus, signa illa honoris et christianae benignitatis quae moribus patriae conveniant.

Declaratio. 'Sapienter administretur.'

—84. Hospitarius scribet in libro quinam ad monasterium advenerint hospites, quo die advenerint, et quamdiu ibi fuerint commorati.

—85. Hospites qui e nostris fuerint monachis cum primum se Abbati sistunt ejus petant benedictionem. Semper habitum monasticum aequae ac ceteri gerant; e monasterii septis absque licentia Superioris non exeant. Poterit autem Abbas, si sibi videbitur expedire, generalem exeundi licentiam petentibus concedere.

—86. Saeculari nulli permittatur intra monasterii claustra assidue commorari, nisi de expressa Praesidis licentia, quam petet Abbas ipse, habito prius assensu Conciliariorum: in omnibus tamen Congregationis nostrae monasteriis excipiuntur famuli; in collegiis autem laicis monasteriis annexis famuli et convictores.

—87. In interiora monasterii claustra saeculares non introducuntur, nisi id permiserit Superior. Colloquium cum extraneis, praesertim cum alterius sexus personis, habeatur in loco ad hunc finem destinato; raro tamen, nec unquam sine Superioris licentia; sit etiam breve, grave ac modestum. Qui licentiam cum aliquo colloquendi obtinuerit, audito signo ad chorum sive ad actum quemvis conventualem, sese expediat sine mora.

Declaratio. 'Nullatenus societur.'

—88. Nemini fratrum, nisi cui Superior dederit permissionem specialem, licet hospitem in suam cellam introducere.

CAPUT LIV

SI DEBEAT MONACHUS LITERAS VEL ALIQUID SUSCIPERE

^{6 Apr.} NULLATENUS liceat monacho neque a paren-
^{6 Aug.} tibus suis neque a quoquam hominum, nec
^{6 Dec.} sibi invicem literas, eulogias, vel quaelibet
munuscula accipere aut dare,⁸⁹⁻⁹² sine praecepto
abbatis. Quod si etiam a parentibus suis ei quid-
quam directum fuerit, non praesumat suscipere illud,
nisi prius indicatum fuerit abbati. Quod si iusserit
suscipi, in abbatis sit potestate cui illud iubeat dari:
et non contristetur frater, cui forte directum fuerat,
ut non detur occasio diabolo. Qui autem aliter
praesumpserit, disciplinae regulari subiaceat.

Declaratio. 'Accipere aut dare.'

—89. Unicuique fratrum licebit literas sigillo obsignatas
Praesidi dare et ab eo vicissim accipere. Eadem licentia competit
collegialibus quoad Superiores suorum respective monasteriorum.
Quando Praeses est Superior ordinarius monasterii, eius subditi
eodem iure gaudebunt erga Praelatum Assistentem a Capitulo
Generali electum. Huiusmodi autem literae per manus
Superiorum immediatorum transmittendae sunt.

—90. His casibus exceptis mandamus, sub poena culpae gravi
debita, ne quis, sive iunior sive senior, ullas accipiat detve
literas absque Superioris sui licentia. Omnes igitur literae
monacho cuivis inscriptae statim tradentur Superiori, qui quidem
easdem, si voluerit, aperiet et etiam leget. Quas autem aliquis

scripserit literas, apertas Superiori legendas offeret atque obsignandas.

—91. Nulli concedet Superior licentiam generalem dandi literas aut accipiendi, qui novem saltem annos in habitu non habeat, quique moribus ac prudentia non sit apprime probatus.

—92. Nemo ullum librum typis mandari iubeat vel, quantum in se erit, patiatur, sive apposito sive non apposito suo nomine, antequam a Praeside expressam ad hoc licentiam in scriptis obtinuerit. Hanc vero licentiam Praeses non concedat nisi praevia approbatione unius saltem ex censoribus Congregationis qui a praecedente Capitulo Generali fuerint instituti. Pro libellis requiruntur consensus Abbatis et approbatio censoris electi per Capitulum conventuale. Quoad scripta brevia in ephemeridibus, sufficiet consilium confratris prudentis, de consensu tamen Superioris monasterii.

CAPUT LV

DE VESTIARIO VEL CALCIARIO FRATRUM

VESTIMENTA fratribus secundum locorum
7 Apr. qualitatem ubi habitant vel aerum temperiem
7 Aug. dentur, quia in frigidis regionibus amplius
7 Dec. indigetur, in calidis vero minus. Haec ergo consi-
deratio penes abbatem est. Nos tamen mediocribus
locis sufficere credimus⁹³⁻⁹⁶ monachis per singulos
cucullam et tunicam: cucullam in hieme villosam,
in aestate puram aut vetustam: et scapulare propter
opera, indumenta pedum, pedules et caligas. De
quarum rerum omnium colore aut grossitudine non
causentur monachi, sed quales inveniri possunt in
provincia qua degunt, aut quod vilius comparari
potest.

Abbas autem de mensura provideat, ut non sint
curta ipsa vestimenta utentibus eis, sed mensurata.
Accipientes nova, vetera semper reddant in praesenti,
reponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit
enim monacho duas tunicas et duas cucullas habere
propter noctes et propter lavare ipsas res; iam
quod supra fuerit, superfluum est, amputari debet.
Et pedules, et quodcumque est vetus, reddant
dum accipiunt novum. Femoralia hi qui in via
diriguntur de vestiario accipiant, quae revertentes
lota ibi restituant. Et cucullae et tunicae sint
aliquanto solito quas habent modice meliores; quas

exeuntes in via accipiant de vestiario, et revertentes restituant.

8 Apr. Stramenta autem lectorum sufficiant matta,
8 Aug. sagum, et lena et capitale. Quae tamen lecta
8 Dec. frequenter ab abbate scrutinanda⁹⁷ sunt propter opus peculiare, ne inveniatur. Et si cui inventum fuerit quod ab abbate non accepit, gravissimae disciplinae subiaceat. Et ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab abbate omnia quae sunt necessaria: id est, cuculla, tunica, pedules, caligae, brabile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulae, ut omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum, quia *dabatur singulis prout cuique opus erat.*^{a 98} Ita ergo et abbas consideret infirmitatem indigentium, non malam voluntatem invidentium. In omnibus tamen iudiciis suis Dei retributionem cogitet.

Declaratio. 'Sufficere credimus.'

—93. Omnes nostros monachos eiusdem esse Congregationis ut perspicuum sit, omnium vestimenta eiusdem erunt formae eiusdemque materiae, sine ulla prorsus seniores inter et iuniores differentia. Toga, seu cuculla, amplo circuitu ad terram fere defluat; circa collum plicata sit ac sinuosa; manicae eius adeo longae, ut, dimissae, ad imam togae fimbriam descendant, adeo latae, ut, manibus ad pectus admotis, protendantur ad genua. Cucullus a fronte pateat, utroque eiusdem sinu super pectus dependente; a tergo desinat in acumen. Scapularis latitudo ad humerorum extrema se distendat; longitudo pertingat ad pedes.

^a Act. iv. 35.

Tunica sit talaris; pars eius anterior, a summo ad medium aperta, a medio deorsum clausa; manicas habeat laxas, quae ambas manus iisdem insertas facile possint cooperire; cubital etiam aliquantulum prominens.

—94. Materia togae, cuculli ac scapularis erit textum tenuius nigri coloris; non pretiosum, sed quod munditiam exhibeat atque humilitatem. Ex eadem quoque materia fiet tunica pro aestate; ex panno mediocriter attonso, qui non magni constet, pro hieme: nigra sit, ac materiam aliquam habeat intus insutam. Zona erit tres circiter pollices lata, simplex, eiusdemque materiae ac tunica. Tibialia nigra sint aut fusca: calceamenta et galeri sint saecularium calceis et galeris nonnihil latiores, ut viros religiosos condecet. In his et omnibus aliis vestimentis, curam habeat Superior ut omnis omnino vitetur singularitas.

—95. Quando extra septa monasterii vel domus missionis habitus religiosus non defertur, vestimenta clericalia huiusce regionis semper adhibebunt fratres nostri, sicut statutum est pro omnibus clericis in Conciliis Provinciae Westmonasteriensis.

—96. Nihil magni pretii, nihil quod elegantiam mundanam redoleat, nihil novae inusitataeque figurae, nihil denique quod vanitatem prae se ferat a quoquam in vestimentis usurpetur, sub poena in graviter delinquentem statuta. Loco coronae canonicalis iure et olim Constitutionibus nostris praescriptae, nunc omnibus Congregationis nostrae monachis coma capitis ita tondeatur ut dividi non possit. Quae quidem tonsura saepe renovanda est.

Declaratio. ‘Ab abbate scrutinanda.’

—97. Praelatus nonnunquam visitabit cellas fratrum praesertim iuniorum, eosque corripiet quos vestimenta aliave ipsis ad usum concessa aut incuriose servare aut sordide tractare animadverterit.

Declaratio. ' Prout cuique opus erat.'

—98. Habebit Superior quisque vestiarium librum, in quo accurate scribet quaenam singulis fratribus vestimenta dederit, et quando. Liber hic Praesidi ostendetur tempore Visitationis, non solum ut Superior cogatur monachorum suorum necessitatibus providere, sed etiam ne ipsi monachi quibus abunde provisum est, de superfluis sibi a Superiore denegatis conquerantur.

CAPUT LVI

DE MENSA ABBATIS

^{9 Apr.} ^{9 Aug.} ^{9 Dec.} MENSA abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper. Quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare in ipsius sit potestate: seniores tamen unum aut duos semper cum fratribus dimittendum propter disciplinam.

CAPUT LVII

DE ARTIFICIBUS MONASTERII

^{10 Apr.} ARTIFICES, si sunt⁹⁹ in monasterio, cum omni
^{10 Aug.} humilitate faciant ipsas artes, si permiserit
^{10 Dec.} abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur pro
 scientia artis suae, eo quod videatur aliquid conferre
 monasterio, hic talis erigatur ab ipsa arte et denuo
 per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum
 abbas iubeat. Si quid vero ex operibus artificum
 venumdandum est, videant ipsi per quorum manus
 transigenda sint, ne aliquam fraudem praesumant.
 Memorentur semper Ananiae et Saphirae, ne forte
 mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti,
 vel omnes qui aliquam fraudem de rebus monasterii
 fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem pretiis
 non subripiat avaritiae malum, sed semper aliquan-
 tulum vilius detur quam ab aliis saecularibus dari
 potest, ut in omnibus glorificetur Deus.

Declaratio. 'Artifices si sunt.'

—99. Ad artes utiles et ad opera servilia exercenda admittuntur fratres laici et oblati. Quoad fratres laicos, eos solos admittent Praelati ad probationem, quos arte quadam honesta monasterio utiles fore existimaverint.

CAPUT LVIII

DE DISCIPLINA SUSCIPIENDORUM FRATRUM

NOVITER veniens quis ad conversationem,
11 Apr. non ei facilis tribuatur ingressus; sed sicut
11 Aug. ait Apostolus: *Probate spiritus, si ex Deo sunt.*^a
11 Dec. Ergo si veniens perseveraverit pulsans, et illatas
sibi iniurias et difficultatem ingressus¹⁰⁰⁻¹⁰⁹ post qua-
tuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare
et persistere petitioni suae, annuatur ei ingressus,
et sit in cella hospitem paucis diebus. Postea sit in
cella novitiorum, ubi meditent et manducent et
dormiant. Et senior eis talis deputetur qui aptus
sit ad lucrandas animas, qui super eos omnino cu-
riose intendat. Et sollicitudo sit si revera Deum
quaerit, si sollicitus est ad Opus Dei, ad obedi-
entiam, ad opprobria. Praedicentur ei omnia dura et
aspera per quae itur ad Deum. Si promiserit de
stabilitatis suae perseverantia, post duorum men-
sium circulum legatur ei haec Regula per ordinem,
et dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis; si potes
observare, ingredi: si vero non potes, liber di-
scede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradi-
ctam cellam novitiorum, et iterum probetur in
omni patientia. Et post sex mensium circuitum
legatur ei Regula, ut sciat ad quod ingreditur. Et
si adhuc stat, post quatuor menses iterum relegatur

^a 1 Joan. iv. 1.

ei eadem Regula. Et si, habita secum deliberatione, promiserit se omnia custodire et cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens et lege Regulae constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de monasterio, nec collum excutere desub iugo Regulae, quam sub tam morosa deliberatione licuit aut recusare aut suscipere.

^{12 Apr.} Suscipiendus autem in oratorio¹¹⁰⁻¹¹² coram
^{12 Aug.} omnibus promittat de stabilitate sua, et con-
^{12 Dec.} versatione morum suorum, et obedientia, coram Deo et Sanctis eius, ut si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat quem irridet. De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen Sanctorum quorum Reliquiae ibi sunt, et abbatis praesentis. Quam petitionem manu sua scribat: aut certe si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat, et ille novitius signum faciat: et manu sua eam super altare ponat. Quam dum imposuerit, incipiat ipse novitius mox hunc versum: *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam: et non confundas me ab expectatione mea.*^a Quem versum omnis congregatio tertio respondeat, adiungentes: *Gloria Patri.* Tunc ille frater novitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo; et iam ex illa die in congregatione reputetur.¹¹³⁻¹¹⁹ Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus; quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum scit. Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis quibus vestitus est, et indua-

^a Psalm. cxviii. 116.

tur rebus monasterii. Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario conservanda, ut si aliquando suadenti diabolo consenserit, ut egrediatur de monasterio, quod absit, tunc exutus rebus monasterii proiciatur. Illam tamen petitionem eius, quam desuper altare abbas tulit, non recipiat, sed in monasterio reservetur.

Declaratio. ‘Difficultatem ingressus.’

—100. Nemo ad novitiatum admittatur absque consensu maioris partis Conciliariorum, nec nisi praemissis necessariis de vita percontationibus et petitis documentis iuxta decretum S. Congregationis super statu Regularium diei 25 Januarii, 1848. A duobus saltem senioribus ab Abbate nominatis examinetur candidatus de origine, aetate, baptismo, moribus, fama, scientia, etc. Scrutinium hoc summa cum religione factum literis mandetur, et ab Abbate Praesidi submitatur ad maiorem cautelam. Si agatur de postulantis in Sacris Ordinibus constitutis, sufficientes literae testimoniales Episcopi qui tales Ordines legitime eis contulerit, una cum literis testimonialibus Ordinariorum dioecesium in quibus ultra annum commorati fuerint.

—101. Caeremoniae a qua novitatus ducit exordium accuratus conficietur actus, in registro describendus; qui quidem actus, a novitio, Superiore et Secretario Concilii subsignatus, in monasterio remanebit. In eo describenda sunt nomen et cognomen quibus in saeculo appellabatur novitius, parentum eius nomina, illius aetas, patria, dioecesis; annus insuper, mensis diesque quibus habitum receperit, et a quo eum receperit, et pro quo monasterio. Si ante professionem dimittatur, aut sponte discedat, id in registro notare Secretarius Concilii non omitteret.

—102. Magister novitiis suis aliquid ex Novo Testamento,

X Psalmis, Regula sancti patris Benedicti vel Constitutionibus nostris quotidie exponet; ipsos quam diligentissime edocebit cantum Gregorianum, breviarii rubricas, caeremoniasque ecclesiasticas atque monasticas; eosdem quoque ad orationem mentalem instituet eiusque formas; iugiter eos exercebit in operibus humilitatis et obedientiae; sedulo curabit ut omnia devitent modestiae atque urbanitati repugnantia, et vel minimam denique levitatem in eorum aspectu, gestu, incessu aut sermone sese prodentem, paterna severitate cohibebit.

—103. Cum eis in refectorio sedebit ad mensam a professorum mensa separatam. Ipsis nunquam permittet ut e loco ad novitiatum constituto egrediantur, nisi ad actus conventuales, ad animum aliquoties deambulatione relaxandum, aliisve necessariis de causis. Quandocumque autem, deambulandi causa, egredientur, illis assiduus erit comes vel Magister ipse, vel monachus aliquis gravis a Superiore designatus.

—104. Eorum excipiet confessiones, nisi maluerint ipsi confiteri cuivis alteri ex illis confessariis quos Superior speciatim novitiis assignaverit. Magnopere curabit ut ad Sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae saltem diebus dominicis festisque maioribus quam piissime accedant.

—105. Saeculares minime alloquetur novitius, absque expressa Superioris ac Magistri sui licentia: nec ullas ad eos scribet, ab eisve recipiet literas, quas non prius de verbo ad verbum legerint Superior ac Magister, ut iudicare possint utrum illas tradere oporteat an retinere. Neque etiam, sine expressa eorundem licentia, sermones habebit cum monacho professo, nec ad eum scribet (quae vicissim interdicuntur et ipsi professo), et severe punietur quoties ita deliquerit.

—106. Prope terminum cuiusque trimestris novitiatu, Magister

novitiorum Superiori de agendi ratione cuiusque novitii scripto referat. Deinde ad Concilium advocetur novitiorum Magister, ibique declaret an novitius ea exhibeat divinae vocationis indicia, ut sperandum sit eius perseverantiam Congregationi fore profuturam. Audito Magistri testimonio statim Concilium discutiet an novitius sit diutius probandus. Si haec sententia novitio faverit, eum in capitulo genuflexum interrogabit Superior, num in statu monastico velit perseverare. Idemque quoque fiet post sextum nonumque mensem ab incepto novitiatu.

—107. Duobus mensibus ante professionem Abbas novitii voluntatem diligenter exploret, et certiozem se faciat illum status religiosi et Regulae obligationes intelligere; secreto audiat tum Magistrum novitiorum, tum novitios, necnon monachos, etiam conversos, circa novitium ad professionem admittendum. Quo facto, Concilium convocet, ad quod advocetur novitiorum Magister, ibique ex conscientia dicat suam de novitio sententiam. Deinde, egresso Magistro, omnes monachi advocentur, suo quisque ordine, qui in monasterio degunt, qui quid de eodem sentiant novitio paucis exponant. Postquam omnes auditi fuerint ac dimissi, ipse advocetur novitius, quem Superior et Conciliarium de Regula, de Constitutionibus, de oratione mentali, de cantu Gregoriano, de breviarii rubricis, deque caeremoniis demum ecclesiasticis examinabunt.

—108. Deinde Abbas convocabit Concilium totius conventus, cui exponet omnia per ordinem. Suam quisque dicet sententiam; utrum vero admittendus sit novitius an diutius probandus decernetur calculis secretis.

—109. Expleto probationis anno, novitius vota simplicia dumtaxat profitetur. Non poterit autem Abbas novitium ad professionem admittere nisi maior pars Capituli conventualis ad eum admittendum consenserit.

X
simple P.

①
②
③

Declaratio. 'Suscipiendus in oratorio.'

—110. Admissus ad professionem, suam emittet professionem sub forma sequenti :

In nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen. Anno a Nativitate eiusdem millesimo N. . . . die vero N. . . . mensis N. . . . Ego F. N. N. de loco N. . . ., in Comitatu N. . . . Dioecesis N. . . . in Anglia (*vel* N.), promitto coram Deo et Sanctis eius, Stabilitatem, et Conversionem morum, et Obedientiam secundum Regulam sancti Patris Benedicti et Constitutiones Congregationis Angliae a Sancta Sede approbatas: sub RRmo Domino N. N. Abbate monasterii N. N. eiusque successoribus, in hoc monasterio Sancti N. eiusdem Congregationis et Ordinis, in dioecesi N. in praesentia RRmi D. N. N. Abbatis (*vel* N. N. ad Professionem recipiendam delegati) et monachorum eiusdem monasterii. Ad cuius rei fidem hanc schedulam seu petitionem manu propria scripsi et subsignavi, anno, die et mense supradictis.

† Frater N. N.

—111. Meminerit unusquisque vovens ut supra, monachos Congregationis Angliae O. S. B., ad servandam propagandamque in Anglia fidem missionibus apostolicis vacandi facultatem a Sancta Sede accepisse; ita ut singuli, vi voti obedientiae, opus pastorale sive apostolicae missionis ab Abbate suo, de licentia Praesidis et Concilii eius; suscipere, vel ab Abbate relinquere iussi, obedire teneantur.

—112. Recens Professus schedulam professionis transcribet in librum ad hoc destinatum; transcriptam nomine et cognomine suo subsignabit, praeposito signo crucis, eamque pariter subsignabunt Superior et Secretarius Concilii seniorum. Hic liber praedictaque schedula in archivio monasterii servabuntur, ad perpetuum rei testimonium. De modo agendi quando novitiatus et professio in alieno monasterio fiunt, vide DIRECTORIUM.

Declaratio. 'In congregatione reputetur.'

—113. Post professionem simplicem iunior sub cura Magistri novitiorum saltem per annum manebit; dein subicietur Magistro iuniorum, cuius sub peculiari manebit disciplina, donec integrum studiorum cursum confecerit, atque interim habebitur pro iuniore. Verumtamen, ob provectionem illius aetatem, aliamve gravem ob causam, Praesidi licebit, petentibus Superiore et Conciliariis, hanc constitutionem relaxare.

—114. Magister iuniorum instituetur qui debitis polleat dotibus. Ipsius erit iuniorum suorum animos ad virtutem et scientiam pari gressu informare; quod ut efficiat, laborem sane nullum sibi fugiendum putabit. Semel in hebdomada, ante vel post Vesperas, ex pio quodam libro aliquid seliget, ab uno eorum legendum coram ceteris, et ipse huic praeerit lectioni, quae semper ad semihoram producet: vel familiares nonnunquam ad eos coadunatos habebit exhortationes, eorumque pietati ac moribus assidue invigilabit.

—115. Siquando male se gerant iuniores Magister eos et verbis reprehendere poterit, et prostrationibus punire; non tamen praesente Superiore: neque etiam prostrationibus eos castigabit quavis in cella, sed in aliquo dumtaxat loco regulari. Quas eis iniunxerit poenitentias, poterit ipse remittere: sed alius nemo, praeter Superiorem, aut actui praesidentem conventuali in quo poenitentia subeunda est. Non poterit eis officia imponere, nec eos ab officiis quae Superior eis imposuerit amovere.

—116. Studiose curabit ut ad Sacramentum Poenitentiae accedant semel saltem in hebdomada, eosque hortabitur ut ad Sanctissimam Eucharistiam frequenter suscipiendam dignos se reddant.

—117. Monachi post triennium votorum simplicium, vota

solemnia emittere poterunt. Attamen haec professio solemnitas ex iustis et rationabilibus causis a Superiore differri poterit secundum decreta Summorum Pontificum.

—118. Monachus intra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium, dominio etiam radicali omnium bonorum suorum renuntiare debet. Haec renuntiatio tantum post professionem editam vim atque exitum habet.

—119. Pro admittendo professo ad vota solemnia iterum requiruntur suffragia secreta Conventus, sed non nisi solemniter professi et in Sacris constituti habent ius ferendi suffragium, quod, in hoc casu, est mere consultativum. Si forte duae tertiae partes suffragantium eum ad professionem admitti noluerint, Praelatus totam controversiam Praesidi referet, a Congregationis Regimine determinandam.

Solemn P.

CAPUT LIX

DE FILIIS NOBILIIUM AUT PAUPERUM QUI OFFERUNTUR

¹³ Apr. Si quis forte de nobilibus offert filium suum
¹³ Aug. Deo in monasterio, si ipse puer minore aeta-
¹³ Dec. te est, parentes eius faciant petitionem quam
supra diximus; et cum oblatione ipsam petitionem
et manum pueri involvant in palla altaris, et sic
eum offerant. De rebus autem suis aut in prae-
senti petitione promittant sub iureiurando, quia
nunquam per se, nunquam per suffectam perso-
nam, nec quolibet modo, ei aliquando aliquid dant,
aut tribuunt occasionem habendi; vel certe, si hoc
facere noluerint, et aliquid offerre volunt in eleemo-
synam monasterio pro mercede sua, faciant ex
rebus quas dare volunt monasterio donationem,
reservato sibi, si ita voluerint, usu fructuum. Atque
ita omnia obstruantur, ut nulla suspicio remaneat
puero, per quam deceptus perire possit, quod absit,
quod experimento didicimus. Similiter autem et
pauperiores faciant. Qui vero ex toto nihil habent,
simpliciter petitionem faciant, et cum oblatione
offerant filium suum coram testibus.

CAPUT LX

DE SACERDOTIBUS QUI FORTE VOLUERINT IN MONASTERIO
HABITARE

14 Apr. Si quis de ordine sacerdotum in monasterio
14 Aug. se suscipi rogaverit, non quidem citius ei
14 Dec. assentiatur: tamen si omnino perstiterit in
 hac supplicatione, sciat se omnem Regulae disci-
 plinam servaturum, nec aliquid ei relaxabitur, ut
 sit, sicut scriptum est: *Amice, ad quod venisti?*^a
 Concedatur ei tamen post abbatem stare et bene-
 dicere, aut Missas tenere; si tamen iusserit ei abbas.
 Sin alias, nullatenus aliqua praesumat, sciens se
 disciplinae regulari subditum, et magis humilitatis
 exempla omnibus det. Si forte ordinationis aut ali-
 cuius rei causa fuerit in monasterio, illum locum
 attendat quando ingressus est in monasterium, non
 illum qui ei pro reverentia sacerdotii concessus est.
 Clericorum autem si quis eodem desiderio mona-
 sterio sociari voluerit, loco mediocri collocentur; et
 ipsi tamen, si promittunt de observatione Regulae
 vel propria stabilitate.

^a Matth. xxvi. 50.

CAPUT LXI

DE MONACHIS PEREGRINIS QUALITER SUSCIPIANTUR

15 Apr. Si quis monachus peregrinus de longinquis
15 Aug. provinciis supervenerit, si pro hospite volu-
15 Dec. erit habitare in monasterio, et contentus est
consuetudine loci quam invenerit, et non forte
superfluitate sua perturbat monasterium, sed sim-
pliciter contentus est quod invenerit, suscipiatur
quanto tempore cupit. Si qua sane rationabiliter et
cum humilitate caritatis reprehendit aut ostendit,
tractet abbas prudenter, ne forte pro hoc ipso eum
Dominus direxerit. Si vero postea voluerit stabili-
tatem suam firmare, non renuatur talis voluntas,
et maxime, quia tempore hospitalitatis potuit eius
vita dignosci.

16 Apr. Quod si superfluus aut vitiosus inventus
16 Aug. fuerit tempore hospitalitatis, non solum non
16 Dec. debet sociari corpori monasterii, verum etiam
dicatur ei honeste ut discedat, ne eius miseria etiam
alii vitientur. Quod si non fuerit talis qui mereatur
proici, non solum si petierit suscipiatur congrega-
tioni sociandus, verum etiam suadeatur ut stet, ut
eius exemplo alii erudiantur, et quia in omni loco
uni Domino servitur, uni Regi militatur. Quem
etiam si talem esse perspexerit abbas, liceat eum in
superiore aliquantum constituere loco. Non solum
autem monachum, sed etiam de suprascriptis gra-

dibus sacerdotum vel clericorum, stabilire potest abbas in maiori quam ingrediuntur loco, si eorum talem prospexerit esse vitam. Caveat autem abbas ne aliquando iam de alio noto monasterio monachum ad habitandum suscipiat sine consensu abbatis eius aut literis commendatitiis; quia scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alii non feceris.*^a

^a Tob. iv. 16,

CAPUT LXII

DE SACERDOTIBUS MONASTERII

17 Apr. Si quis abbas sibi presbyterum vel diaconum
17 Aug. ordinare petierit, de suis eligat qui dignus sit
17 Dec. sacerdotio fungi. Ordinatus autem caveat
elationem aut superbiam; nec quidquam praesumat
nisi quod ei ab abbate praecipitur, sciens se multo
magis disciplinae regulari subditum. Nec occasione
sacerdotii obliviscatur Regulae obedientiam et disci-
plinam, sed magis ac magis in Deum proficiat.

Locum vero illum semper attendat quo ingressus
est in monasterio, praeter officium altaris, et si
forte electio congregationis et voluntas abbatis pro
vitae merito eum promovere voluerint. Qui tamen
regulam decanis vel praepositis constitutam sibi
servare sciat. Quod si aliter praesumpserit, non
sacerdos sed rebellio iudicetur; et saepe admonitus
si non correxerit, etiam episcopus adhibeatur in
testimonium. Quod si nec sic emendaverit, clare-
scentibus culpis, proiciatur de monasterio; si tamen
talis fuerit eius contumacia, ut subdi aut obedire
Regulae nolit.

CAPUT LXIII

DE ORDINE CONGREGATIONIS

ORDINES suos in monasterio ita conseruent
 18 Apr. ut conversationis tempus et vitae meritum
 18 Aug. discernit, utque abbas constituerit. Qui abbas
 18 Dec. non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi
 libera utens potestate iniuste disponat aliquid; sed
 cogitet semper quia de omnibus iudiciis et operibus
 suis redditurus est Deo rationem. Ergo secundum
 ordines¹²⁰⁻¹²³ quos constituerit, vel quos habuerint
 ipsi fratres, sic accedant ad Pacem, ad Communio-
 nem, ad psalmum imponendum, in choro standum.
 Et in omnibus omnino locis aetas non discernat
 ordines nec praeiudicet; quia Samuel et Daniel
 pueri presbyteros iudicaverunt. Ergo exceptis his,
 quos, ut diximus, altiori consilio abbas praetulerit
 vel degradaverit certis ex causis, reliqui omnes ut
 convertuntur ita sint; ut, verbi gratia, qui secunda
 hora diei venerit in monasterium, iuniorem se
 noverit illius esse qui prima hora venit diei, cuius-
 libet aetatis aut dignitatis sit, pueris per omnia ab
 omnibus disciplina conservata.

Iuniores igitur priores suos honorent: priores
 19 Apr. minores suos diligant. In ipsa appellatione
 19 Aug. nominum nulli liceat alium puro appellare
 19 Dec. nomine; sed priores iuniores suos fratrum nomine,
 iuniores autem priores suos nonnos vocent, quod
 intelligitur paterna reverentia. Abbas autem, quia

vices Christi creditur agere, dominus et abbas vocetur: non sua assumptione, sed honore et amore Christi. Ipse autem cogitet, et sic se exhibeat ut dignus sit tali honore. Ubi cumque autem sibi obviant fratres, iunior priorem benedictionem petat. Transeunte maiore minor surgat et det ei locum sedendi: nec praesumat iunior consedere, nisi ei praecipiat senior suus: ut fiat quod scriptum est: *Honore invicem praevenientes.*^a Pueri parvi vel adolescentes in oratorio vel ad mensas cum disciplina ordines suos consequantur. Foris autem vel ubi ubi et custodiam habeant et disciplinam, usque dum ad intelligibilem aetatem perveniant.

Declaratio. 'Ergo secundum ordines.'

—120. Primum ubique locum occupabit Praeses. Deinde Abbates regiminis secundum antiquitatem electionis; Abbates titulares; Prior Cathedralis Neoportensis; Procurator in Curia; Magister scholarum, Assessor, et Inspector; Priores Cathedralium antiquarum. Deinde Priores monasteriorum communium; Priores monasteriorum dependentium secundum antiquitatem habitus; Canonici Neoportenses, at in sua dioecesi tantum (salvis iuribus Capituli illius); Priores claustrales, qui sequentur in suis conventibus immediate Abbates titulares. Ceteri servabunt gradum sibi ex habitus antiquitate et dignitate clericali debitum.

—121. Praelatus cuilibet e nostris gradum in suo monasterio supra alios habitu antiquiores concedere potest, dummodo Conciliarii, nemine dissentiente, causas ab ipso propositas approbaverint calculis secretis, nec aliter. Gradus sic concessus adimi nequit sine unanimi Conciliariorum consensu: at nusquam

^a Rom. xii. 10.

valebit, nisi in eodem conventu. Sin autem huiusmodi gradus a Capitulo Generali fuerit concessus, valebit ubique; et quidem in omnibus praeter illas electiones in quibus antiquitas erit ab habitu susceptione computanda.

—122. Ad nostram pertinent Congregationem, sicut olim SS. D. Pontifex Urbanus VIII decrevit in sua Bulla *Plantata*, (quam in Bulla *Religiosus Ordo* SS. D. Leo XIII nuper benignissime confirmavit,) ‘omnia privilegia, gratiae, indulta, facultates, praerogativae Ordinis et Congregationis Nigrorum nuncupatorum monachorum S. Benedicti ac illius monasteriorum in Anglia.’

—123. Ex quibus dignitatibus sequentes inter tres conventus, scilicet S. Gregorii, S. Laurentii, et S. Edmundi, distribuuntur:

Ad Conventum S. Gregorii pertinent:—Abbatiae S. Albani et Glastoniensis: et Prioratus Cathedrales Cantuariensis, Coventriensis, Bathoniensis et Nordovicensis.

Ad Conventum S. Laurentii pertinent:—Abbatiae Westmonasteriensis et S. Mariae Eboracensis: et Prioratus Cathedrales Dunelmensis, Cestrensis, Roffensis et Wigorniensis.

Ad Conventum S. Edmundi pertinent:—Abbatiae S. Edmundi Burgensis et Eveshamiensis: et Prioratus Cathedrales Wintoniensis, Eliensis, Petroburgensis et Glocestrensis.

Dignitates huiusmodi Abbatiales a Capitulo Generali ad instantiam Abbatis regiminis et conventus conferentur: Priores vero Cathedrales Abbas de Seniorum consilio nominet.

CAPUT LXIV

DE ORDINANDO ABBATE

20 Apr. IN abbatis ordinatione¹²⁴ illa semper consi-
20 Aug. deretur ratio, ut hic constituatur quem sibi
20 Dec. omnis concors congregatio secundum timo-
rem Dei, sive etiam pars quamvis parva congrega-
tionis saniori consilio elegerit. Vitae autem merito
et sapientiae doctrina eligatur qui ordinandus est,
etiam si ultimus fuerit in ordine congregationis.
Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis, quod
quidem absit, consentientem personam pari consilio
elegerit, et vitia ipsa aliquatenus in notitiam episcopi
ad cuius dioecesim pertinet locus ipse, vel ad abbates
aut Christianos vicinos claruerint, prohibeant pra-
vorum praevalere consensum, et domui Dei dignum
constituant dispensatorem, scientes pro hoc se rece-
pturos mercedem bonam, si illud caste et zelo Dei
faciant; sicut e contrario peccatum, si negligant.

21 Apr. Ordinatus autem abbas cogitet semper quale
21 Aug. onus suscepit, et cui redditurus est rationem
21 Dec. villicationis suae; sciatque sibi oportere pro-
desse magis, quam praeesse. Oportet ergo eum esse
doctum lege divina, ut sciat et sit unde proferat
nova et vetera;¹²⁵ castum, sobrium, misericordem;
et semper *superexaltet misericordiam iudicio,*^a ut
idem ipse consequatur. Oderit vitia, diligat fratres.

^a Jac. ii. 13.

In ipsa autem correptione prudenter agat, et ne quid nimis, ne dum nimis eradere cupit aeruginem, frangatur vas; suamque fragilitatem semper suspectus sit, memineritque calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus ut permittat nutriri vitia, sed prudenter et cum caritate ea amputet, ut viderit cuique expedire, sicut iam diximus; et studeat plus amari quam timeri. Non sit turbulentus et anxius, non sit nimius et obstinatus, non zelotypus et nimis suspiciosus, quia nunquam requiescit; in ipsis imperiis suis providus et consideratus; et sive secundum Deum sive secundum saeculum sit opera quam iniungit, discernat ac temperet, cogitans discretionem sancti Iacob, dicentis: *Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die.*^a Haec ergo aliaque testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet, ut sit et fortes quod cupiant, et infirmi non refugiant. Et praecipue, ut praesentem Regulam in omnibus conservet; ut dum bene ministraverit, audiat a Domino, quod servus bonus, qui erogavit triticum conservis suis in tempore suo: *Amen dico vobis, super omnia bona sua constituit eum.*^b

Declaratio. 'In abbatis ordinatione.'

—124. Abbas per suos monachos eligitur, ut in secunda Parte declaratur.

Declaratio. 'Proferat nova et vetera.'

—125. Praepositus coenobii semel in hebdomada de adipiscenda perfectione virtutum ad suos concionetur: idque si per seipsum

^a Gen. xxxiii. 13.

^b Matth. xxiv. 47.

non fecerit per alium faciat. Idem diligenter provideat ne desit qui semel in hebdomada Sacras Literas scientiamque morum Christianam ad fratres exponat. Aliquando hora opportuna habebuntur collationes theologicae, a quibus, sine Superioris licentia, nemo abesse debet.

CAPUT LXV

DE PRAEPOSITO MONASTERII

^{22 Apr.} ^{22 Aug.} ^{22 Dec.} SAEPIUS quidem contigit ut per ordinationem praepositi scandala gravia in monasteriis oriantur; dum sint aliqui maligno spiritu superbiae inflati, qui aestimantes se secundos esse abbates, assumentes sibi tyrannidem, scandala nutriunt et dissensiones in congregatione faciunt, et maxime in illis locis ubi ab eodem sacerdote vel ab eis abbatibus qui abbatem ordinant, ab ipsis etiam et praepositus ordinatur. Quod quam sit absurdum facile advertitur, quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi, dum ei suggeritur a cogitationibus suis exutum eum esse a potestate abbatis sui: quia ab ipsis es et tu ordinatus a quibus et abbas. Hinc suscitantur invidiae, rixae, detractiones, aemulationes, dissensiones, exordinationes, ut dum contraria sibi abbas praepositusque sentiunt, et ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari; et hi qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum illos respicit in capite qui talis inordinationis se fecerunt auctores.

^{23 Apr.} ^{23 Aug.} ^{23 Dec.} Ideoque nos vidimus expedire propter pacis caritatisque custodiam, in abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui.¹²⁶ Et si potest fieri per decanos ordinetur, ut antea disposuimus, omnis utilitas monasterii, prout abbas

disposuerit; ut dum pluribus committitur, unus non superbiat. Quod si aut locus expetit, aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, et abbas iudicaverit expedire, quemcumque elegerit abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi praepositum.¹²⁷⁻¹²⁸ Qui tamen praepositus illa agat cum reverentia quae ab abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil contra abbatis voluntatem aut ordinationem faciens: quia quantum praelatus est ceteris, ita eum oportet sollicitius observare praecepta Regulae. Qui praepositus si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbire, aut contemptor sanctae Regulae fuerit comprobatus, admonetur verbis usque quater: si non emendaverit, adhibeatur ei correptio disciplinae regularis. Quod si neque sic correxerit, tunc deiciatur de ordine praepositurae, et alius qui dignus est in loco eius subrogetur. Quod si et postea in congregatione quietus et obediens non fuerit, etiam de monasterio pellatur. Cogitet tamen abbas se de omnibus iudiciis suis Deo reddere rationem, ne forte invidiae aut zeli flamma urat animam.

Declaratio. 'In abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui.'

—126. Quoniam monasterii Superior omnia officii sui munia explere vix ac ne vix quidem valeret sine cooperariis, quosdam pios et cordatos sibi adiunget in subsidium, ut spiritualia bene administrantur nec temporalia negligantur. Inter alios monasterii officiales erunt Prior, Subprior, Cellerarius, Secretarius, Conciliarii, Confessarii, Infirmarius atque Hospitarius.

Declaratio. 'Ordinet ipse sibi praepositum.'

—127. Priorem instituet Abbas quem, audita Conciliariorum sententia, iudicaverit maxime idoneum, licet illi aliter sentiant. Fratribus exemplo praeire debet Prior: ideo omnibus intererit regularibus exercitiis. Ad ipsum spectat Abbatis vices gerere eiusque occupationes sublevare. Habebit septem ad minimum annos in habitu monastico. Priores Prioratum dependentium ad nutum instituantur Abbatis fundatoris eiusque successorum.

—128. Quo Priori promptior ab omnibus obedientia praestetur, ubique in suo conventu proximus stabit post Abbates titulares, sed ante ceteros fratres etiamsi habitu antiquiores; immo, quoties ipsius erit conventui praesidere, primum ibi locum occupabit. Omni insuper gaudebit regendi et corrigendi potestate, quam Abbas velit ac possit ipsi deferre.

—129. Absentibus simul Abbate et Priore, conventui in omnibus praesidebit Subprior, et post eum primus Conciliarius; sed in ecclesia, capitulo et refectorio nemo in sede Abbatis se sistat.

CAPUT LXVI

DE OSTIARIIS MONASTERII

^{24 Apr.} AD portam monasterii ponatur senex sapiens,
^{24 Aug.} qui sciat accipere responsum et reddere, et
^{24 Dec.} cuius maturitas eum non sinat vagari. Qui
portarius cellam debet habere iuxta portam, ut
venientes semper praesentem inveniant a quo re-
sponsum accipiant. Et mox ut aliquis pulsaverit
aut pauper clamaverit, *Deo gratias* respondeat, aut
Benedic; et cum omni mansuetudine timoris Dei
reddat responsum festinanter cum fervore caritatis.
Qui portarius si indiget solatio, iuniorem fratrem
accipiat. Monasterium autem, si possit fieri, ita
debet constitui, ut omnia necessaria, id est, aqua,
molendinum, hortus, vel artes diversae intra mona-
sterium exercentur, ut non sit necessitas monachis
vagandi foris,¹³⁰ quia omnino non expedit anima-
bus eorum. Hanc autem regulam saepius volumus
in congregatione legi,¹³¹ ne quis fratrum se de
ignorantia excuset.

Declaratio. ‘Vagandi foris.’

—130. Licentiam monasterii septa transeundi non concedat
Superior, nisi iusta de causa; nec cuiquam nisi Cellerario per-
mittat ut in circumiecta monasterio loca solus egrediatur.

Declaratio. ‘Regulam saepius volumus in congregatione legi.’

—131. Fratres ut in literam sensumque S. Regulae penitus se

insinuent, perattente audiant caput singulis diebus in capitulo aut in choro perlectum. Praeterea commendamus ut S. Regula Declarationes et Constitutiones nostrae saepius in collatione spirituali legantur atque explicentur. Bis in anno Constitutiones, quae normam vitae nostrae continent, in refectorio legantur.

CAPUT LXVII

DE FRATRIBUS IN VIAM DIRECTIS

^{25 Apr.} ^{25 Aug.} ^{25 Dec.} DIRIGENDI fratres in via¹³² omnium fratrum vel abbatis se orationi commendent; et semper ad orationem ultimam Operis Dei commemoratio omnium absentium fiat. Revertentes autem de via fratres, ipso die quo redeunt, per omnes canonicas Horas, dum expletur Opus Dei, prostrati solo oratorii ab omnibus petant orationem¹³³ propter excessus, ne qui forte subriperint in via visus aut auditus malae rei aut otiosi sermonis. Nec praesumat quisquam referre¹³⁴ alii quaecumque foris monasterium viderit aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis praesumpserit, vindictae regulari subiaceat; similiter et qui praesumpserit claustra monasterii egredi, vel quocumque ire, vel quidpiam quamvis parvum sine abbatis iussione¹³⁵⁻¹³⁶ facere.

Declaratio. 'Dirigendi fratres in via.'

—132. Rarius concedatur licentia fratribus itinera ad remota loca faciendi ita ut diu absint a suo monasterio. Qui licentiam obtinuerint aliquo exeundi, sub poena culpae gravi debita non deflectant ad alia loca, nisi id suadeat causa quam suis Superioribus haud improbatum iri prudenter existimaverint.

Declaratio. 'Ab omnibus petant orationem.'

—133. Quia nunc haec consuetudo non viget, exeuntes et

redeuntes ab itinere Superiori se sistant, flexisque genibus si iuniores sint, aut profunde inclinati si seniores, eius petant benedictionem.

Declaratio. 'Nec praesumat quisquam referre.'

—134. De itinere revertentes non praesumant publice aut privatim libellos, aut alia quaecumque folia typis mandata, in aliorum manus tradere vel apud se retinere sine Superioris licentia.

Declaratio. 'Sine abbatis iussione.'

—135. Si quis absque Superioris sui licentia, vel expressa vel rationabiliter ac bona fide praesumpta, exierit e monasterio, eodemque die redierit, acerbius reprehendatur in capitulo; id saepius si fecerit, augeatur poena pro ratione delicti.

—136. Declaramus clausurae violationem prohiberi sub praeccepto sanctae Obedientiae.

CAPUT LXVIII

SI FRATRI IMPOSSIBILIA INIUNGANTUR

26 Apr. Si cui fratri aliqua forte gravia aut impossi-
26 Aug. bilia iniunguntur, suscipiat quidem iubentis
26 Dec. imperium cum omni mansuetudine et obe-
dientia. Quod si omnino virium suarum mensuram
viderit pondus oneris excedere, impossibilitatis suae
causas ei qui sibi praeest patienter et opportune
suggerat, non superbiendo aut resistendo vel con-
tradicens. Quod si post suggestionem suam in
sua sententia prioris imperium perduraverit, sciat
iunior ita sibi expedire, et ex caritate confidens de
adiutorio Dei obediat.

CAPUT LXIX

UT IN MONASTERIO NON PRAESUMAT ALTER ALTERUM
DEFENDERE

^{27 Apr.} **PRAECAVENDUM** est ne quavis occasione
^{27 Aug.} praesumat alter alium defendere monachum
^{27 Dec.} in monasterio aut quasi tueri, etiamsi quali-
vis consanguinitatis propinquitate iungantur. Nec
quolibet modo id a monachis praesumatur, quia
exinde gravissima occasio scandalorum oriri potest.
Quod si quis haec transgressus fuerit, acrius coer-
ceatur.

CAPUT LXX

UT NON PRAESUMAT PASSIM ALIQUIS CAEDERE

^{28 Apr.} **VITETUR** in monasterio omnis praesumptio-
^{28 Aug.} nis occasio, atque constituimus ut nulli liceat
^{28 Dec.} quemquam fratrum suorum excommunicare
aut caedere, nisi cui potestas ab abbate data fuerit.
Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut
ceteri metum habeant. Infantum vero usque quin-
decim annorum aetates, disciplinae diligentia ab
omnibus et custodia sit; sed et hoc cum omni
mensura et ratione. Nam in fortiori aetate qui
praesumit aliquatenus sine praecepto abbatis, vel in
ipsis infantibus sine discretionem exarserit, disciplinae
regulari subiaceat, quia scriptum est: *Quod tibi non
vis fieri, alii ne feceris.*^a

^a Tob. iv. 16.

CAPUT LXXI

UT OBEDIENTES SINT SIBI INVICEM

^{29 Apr.} ^{29 Aug.} ^{29 Dec.} OBEDIENTIAE bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem ita obediant fratres, scientes per hanc obedientiae viam se ituros ad Deum. Praemisso ergo abbatis aut praepositorum qui ab eo constituuntur imperio, cui non permittimus privata imperia praeponi, de cetero omnes iuniores prioribus suis omni caritate et sollicitudine obediant. Quod si quis contentiosus reperitur, corripatur. Si quis autem frater pro quavis minima causa, ab abbate vel a quocumque priore suo corripitur quolibet modo, vel si leviter senserit animos prioris cuiuscumque contra se iratos vel commotos quamvis modice, mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, usque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod qui contempserit facere, aut corporali vindictae subiaceat, aut, si contumax fuerit, de monasterio expellatur.

CAPUT LXXII


DE ZELO BONO QUEM DEBENT MONACHI HABERE


30 Apr. Sicut est zelus amaritudinis malus qui
30 Aug. separat a Deo et ducit ad infernum, ita est
30 Dec. zelus bonus qui separat a vitiis, et ducit ad
Deum et ad vitam aeternam. Hunc ergo zelum
ferventissimo amore exercent monachi, id est, ut
honore se invicem praeveniant. Infirmittates suas
sive corporum sive morum patientissime tolerant;
obedientiam sibi certatim impendant; nullus quod
sibi utile iudicat sequatur, sed quod magis alii;
caritatem fraternitatis caste impendant amore;
Deum timeant; abbatem suum sincera et humili
caritate diligant; Christo omnino nihil praeponant,
qui nos pariter ad vitam aeternam perducatur.

CAPUT LXXIII

DE HOC QUOD NON OMNIS IUSTITIAE OBSERVATIO IN
HAC SIT REGULA CONSTITUTA

¹ Maii ³¹ Aug. ³¹ Dec. REGULAM autem hanc descripsimus, ut hanc observantes in monasteriis aliquatenus vel honestatem morum aut initium conversationis nos demonstramus habere. Ceterum ad perfectionem conversationis qui festinat, sunt doctrinae sanctorum Patrum, quarum observatio perducatur hominem ad celsitudinem perfectionis. Quae enim pagina, aut quis sermo divinae auctoritatis Veteris ac Novi Testamenti, non est rectissima norma vitae humanae? Aut quis liber sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? Nec non et Collationes Patrum, et Instituta et Vitae eorum, sed et Regula sancti Patris nostri Basilii, quid aliud sunt nisi bene viventium et obedientium monachorum instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis et male viventibus atque negligentibus, rubor confessionis est. Quisquis ergo ad patriam caelestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuvante Christo perfice; et tunc demum ad maiora, quae supra commemoravimus, doctrinae virtutumque culmina Deo protegente pervenies.





PARS SECUNDA

CONSTITUTIONES DE REGIMINE CONGREGATIONIS

CAPUT I

DE CONGREGATIONIS FORMA

—137. Ut olim a tempore Concilii Lateranensis sub Innocentio III Summo Pontifice celebrati, nunc quoque Congregatio Nigrorum Monachorum Ordinis Sancti Benedicti in Anglia ad eum finem intendit ut, sua cuique monasterio iurisdictione atque administratione manentibus, et disciplina regularis promoveatur, et sibi invicem occurrentibus necessitatibus monasteria adiutorium praestent.

CAPUT II

DE CAPITULO GENERALI

—138. Quarto quoque anno celebrabitur Capitulum Generale, die et loco a Praeside constituendis; quo die ac loco omnes patres Capitulares adesse debent absque ulla alia citatione: semper autem celebrabitur in aliquo monasterio nostrae Congregationis.

(145)

—139. Personae quae debent Capitulo Generali interesse sunt:

- I. Praeses Congregationis.
- II. Abbates regiminis.
- III. Prior Ecclesiae Cathedralis Neoportensis.
- IV. Delegati a singulis familiis (i. e. unus delegatus ab unaquaque familia).
- V. Procurator in Curia.
- VI. Magister scholarum.
- VII. Assessor in rebus iudiciariis.
- VIII. Inspector rei familiaris.

Et hoc quidem ordine erit illis ubique considendum in Capitulo Generali, ita tamen ut Abbatum et Delegatorum praecedentia nec electionis nec habitus antiquitate determinetur, sed ordine qui singulis coenobiis attribuitur in Congregatione. Inter Abbates et Delegatos eodem ordine sedeant, si forte adsint, Praelatorum procuratores.

—140. Si quis forte absit Capitularis, quod ne fiat nisi canonica ex causa, excusationes suas ad Capitulum mittere debet. Impeditus aliquis de regimine Praelatus, suo loco sacerdotem monasterii sui cum literis procuratoriis (Form. II.) mittat qui ipsius vices gerat. Ut quis absentis Praelati literis procuratoriis muniri et delegationem obire possit, annum nonum ab habitu suscepto complevisse debet.

—141. Praelatus qui sine iusta causa non venerit ad Capitulum; vel qui legitime impeditus, eidem per literas non significavit impedimentum; aut monachum nullum, vel requisitis dotibus carentem, delegaverit; aut per suum denique procuratorem non miserit statum seu rationes sui monasterii,

punietur tanquam pro culpa gravissima, eiusque procurator a Capitulo excludetur. Electionibus vero, aliisque Capituli Generalis actibus, minime nocebit talis Praelati aut procuratoris absentia.

—142. Si forte Praeses ob infirmitatem, aut quodvis aliud grave impedimentum, Capitulo Generali non intersit, eidem praesidebit Praelatus Assistens a Praeside in Capitulo Generali praecedenti electus, usque dum Praeses quadriennii futuri electus fuerit ac pronuntiatus.

—143. In causis definiendis in Capitulo Capitularibus omnibus aequa sit suffragii ferendi facultas. Sed quando ad electiones proceditur, alio secedant Magister scholarum, Assessor et Inspector, quippe quos omnes suffragia ferre in muneribus mandandis non est ius.

—144. Quod attinet ad Statuta et Definitiones generales pro tota Congregatione condenda, Capitulum Generale supremam habet auctoritatem.

—145. Ne quid inconsulte ac temere statuatur, gravia quaeque negotia toti Capitulo pridie exponentur quam a patribus discutienda erunt ac definienda.

—146. Cuivis Capitulari liberum erit sententias et desideria sua in Capitulo proponere et ut suffragia de his ferantur postulare.

—147. Acta Visitationum monasteriorum quadriennio proxime elapso factarum, ex libro ad hoc destinato apud Praesidem conservato, coram patribus legat Secretarius Capituli: qui Secretarius eligetur ab ipso Capitulo per vota secreta pluralitate absoluta suffragiorum. Haec quidem omnia attento animo

considerabunt patres, quaeque, iustis de causis, sibi videbuntur reicienda, reicient, cetera vero confirmabunt. Hoc autem exemplar, et etiam exemplaria eorumdem Actorum quae Praelati secum afferre debent, a Capitulo emendata (si opus sit) et a Praeside et a Secretario subsignata, illico suis respective custodibus reddantur.

—148. Quivis monachus professus Capitulo in scriptis proponere potest quae ad bonum Congregationis quovis modo spectant, per manus alicuius Capitularis tradenda; qui quidem Capitularis se libellum supplicem accepisse rescribet et in virtute sanctae obedientiae Capitulo offerre tenetur. Petitiones nomine auctoris subscribi debent: secus non recipientur, et quidem auctor ubi innotuerit pro culpa gravi punietur.

—149. Deputatus pro iustitia nemo eligetur qui, ex quovis officio, iudicandi potestate intra quadriennium potitus fuerit.

—150. Petitiones de iustitia quae instantias ordinarias (cum per tempus licuit) non percusserint, quaeve nullis aut incertae fidei innitantur testimoniis, et etiam petitiones de gratia quae viis ordinariis offerri atque expediri potuissent, prorsus a Capitulo reiciendae sunt, earumque auctores poena culpae gravi debita plectendi. Sin forte causa aliqua civilis aut criminalis non potuerit ob angustias temporis diiudicari, eius cognitio eo ipso ad Capitulum Generale devolvetur.

—151. Nemo ulla in electione a Capitulo Generali facienda potest suffragia sua alterius iudicio permittere; sed contra debent singuli per se sua ferre suf-

fragia prout ipsi in Domino iudicaverint expedire. —152. Decreta Capituli Generalis sunt vel Statuta vel Definitiones. Cum a stabilitate Statutorum stabilitas Congregationis ipsius magnopere dependeat, decernimus nullum Statutum a Capitulo Generali introduci, abrogari vel mutari posse nisi iam a Capitulo praecedenti de tali additione, suppressione vel mutatione verba facta fuerint. Res calculis secretis per duas e tribus partibus vocalium concludi debet. Pro Definitione autem condenda sufficit pluralitas tantum suffragiorum aperta suffragatione, nisi vir quis Capitularis secretum postulet.

—153. Transactis negotiis alio secedant non-vocales. Tunc creetur Praeses. Mox e Praefectis monasteriorum assumantur Assistentes: horum alter eligatur a Praeside, huiusque vices gerat ubi fuerit opus; alter a Capitulo Generali per suffragia reliquorum Capitularium. Deinde pro monasterii Praesidis Visitatione, ex Praelatis qui non sunt de regimine nec de conventu Praesidis, eligantur duo Visitatores. Dein eligantur Magister, Assessor ac Inspector pro quadriennio ineunte. In his ac in omnibus aliis electionibus, is electus censebitur qui plus media suffragiorum parte acceperit, et occurrente suffragiorum aequalitate semper praefendus erit habitu antiquior, quando huic regulae nulla peculiaris obstabit Constitutio.

—154. Sub extrema Capituli eligatur, e tribus quos Praeses designarit, Procurator in Curia. Si autem Praeses abfuerit, tum, dimisso Capitulo, cuique vocali Praesidem per literas docere licebit quem

maxime idoneum iudicat e tribus a Praeside designandis.

—155. Electio Magistri novitiorum communis novitiatus sic fiet: quindecim diebus antequam Capitulum Generale aperiatur, singuli Abbates regiminis cum Conciliariis suis triplici suffragatione tres patres requisitas dotes habentes nominabunt, quorum nomina in schedula descripta Capitulo Generali submittent. Ex illis eum Magistrum novitiorum Capitulum eligat qui magis idoneus visus fuerit. Cuius autem alteri praeferet illum qui ex supradictis suffragiis plura obtinuerit, nisi ex conscientia alium esse praeferendum existimaverit. Deinde pluralitate suffragiorum Capituli eligantur duo librorum Censores.

—156. Omnes Congregationis officiales (nisi aliter aut in Constitutionibus aut in Statutis provisum sit) in officiis suis usque ad electionem in sequenti Capitulo Generali faciendam perdurabunt.

—157. Erunt Capitulo tres libri: 1° Liber Statutorum et Definitionum Capituli; 2° Liber Actorum Capituli; 3° Matriculae seu catalogi *a)* eorum omnium qui ad habitum vel ad professionem admittuntur; *b)* promotorum ad Sacerdotium; *c)* defunctorum. Decreta et Acta Capituli ac etiam Matriculae Congregationis a Praeside et a Secretario Capituli subsignentur. Horum librorum duo a Secretario exarentur exemplaria authentica, quorum unum in Monasterio S. Gregorii Magni de Downside conservabitur, alterum penes Praesidem, vel ubi Capitulo expedire videbitur; et utrumque in quovis Capitulo producat. Curabunt Praelati regiminis

ut sibi quisque exemplar eorundem Actorum procurent. Statutorum vero et Definitionum plurima exemplaria typis impressa a Secretario ad singula monasteria mittantur, ut Praelati subditis ea distribuere possint.

—158. Transactis negotiis et omnibus electionibus finitis, eligantur duo Capitulares qui cum Praeside et Secretario libros Capitulares conficiant. Eorum erit curare ut decreta aliave a Capitulo Generali promulgata ad notitiam fratrum omnium perveniant.

—159. Attamen ne in periculum veniat disciplina regularis, unaquaeque Definitio rata permanebit ac firma donec decreta Capituli Generalis sequentis rata ac promulgata sint. Praelati in suis respective monasteriis Capituli decreta statim promulgabunt.

—160. Quando gravis urget necessitas, ipsius Praesidis erit, cum Praelatorum Assistentium consensu, Capitulum convocare extraordinarium. Capitulum hoc illa tantum negotia, iisdemque adiuncta, tractabit atque definiet quorum gratia fuerit convocatum. Expeditis tamen hisce negotiis, si qua forte appellationis causa diiudicanda sit, illam potest et debet diiudicare.

CAPUT III

DE OFFICIO PRAESIDIS EIUSQUE CONCILIO

—161. Praeses Congregationis ex eorum numero legatur qui monasteria regunt; vel quousque Congregatio quinque abbatiis coaluerit, ex eorum numero qui rexerint. Si Praeses eligatur ex iis qui

monasterio cum potestate praefuerint, nec sit Abbas, abbatae alicuius veteris titulum assumat.

—162. Electio haec ab Abbatibus regiminis, Priore Cathedrali Ecclesiae Neoportensis, delegatis a singulis familiis monasticis et Procuratore in Curia peragatur.

—163. Praeses potestatem quadriennio gerat; principalem locum ubivis obtineat. Durante quadriennio Congregationem universam gubernet, ita tamen ut in nullo monasterio ullam iurisdictionem ad officium Abbatis vel alterius cuiuspiam Superioris pertinentem exercent, extra tempus Visitationis.

—164. Praesidis erit definire in dubiis ac difficultatibus quae circa sensum aut praxim alicuius Constitutionis emergant. Haec autem Praesidis definitio non habebit vim legis generalis, sed pro illo tantum valebit casu de quo agitur.

—165. Eius erit Capitula Generalia tum ordinaria tum, quoties consentientibus Praelatis Assistentibus necesse censuerit, extraordinaria, convocare et illis praesidere.

—166. Electioni Abbatum praesideat: suffragium tamen non ferat. Abbatem electum Sedis Apostolicae nomine confirmet, atque ut ab Episcopo benedicatur provideat. Abbatis resignationem accipiat.

—167. Ad eum pertinet visitare omnia Congregationis monasteria, omnesque illius Praelatos, Superiores, monachos ac moniales, sine ulla prorsus exceptione. Monasteria visitet altero quoque anno: missionesque quotiescumque censuerit oportere. Meminerit tamen visitationem missionum ordinariam penes Abbatem esse.

—168. Missionarii resque missionum haud secus ac ipsa monasteria iurisdictioni ordinariae Abbatis subiciantur, et eadem in utraque est Praesidis potestas.

—169. Nisi scientibus et consentientibus Praeside et Concilio eius, nullus monachus missionibus destinetur. Praesidis est etiam, instantibus Abbatibus, monachis licentiam tribuere ultra mensis spatium extra Angliam degendi.

—170. Praeses et Concilium eius dent operam secundum Constitutiones nostras ut adolescentes alumni ad doctrinam et monasticas virtutes ratione gravissima instituantur: studia in collegiis communibus ordinent et rationes exigant: Superiores in studiis promovendis remissos severe reprehendant; neque permittant ut quisquam addicatur missionibus cuius non exploratam habuerint ad id munus indolem et facultatem: quod si alumni desint idonei, per vicarios e clero externo curent ab Abbate supplendum.

—171. Ut monachi in missionibus degentes obligationi residentiae statutis temporibus in proprio monasterio a summis Pontificibus impositae satisfaciant, Praeses, collatis consiliis cum coenobiorum Praepositis, provideat quemadmodum missionarii quotannis possint in sua quisque monasteria secedere per dies quindecim, ut sanctoris disciplinae usu statoque piarum exercitationum curriculo animos reficiant et excolant. Huic obligationi satisfaciant monachi missionarii qui iussu Abbatis in monasterio suo degent per tres menses intra sexennium, dummodo recessum annualem per octo dies faciant,

—172. Praesidis erit cognoscere in prima instantia de causis inter Abbates surgentibus, ac inter Abbatem et suos monachos; in secunda instantia de causis monachorum inter se. Quod si nec a Praeside iuste se iudicatum quispiam censeat, ad Capitulum Generale, quod quamlibet appellationem in scriptis factam recipere tenetur, provocare poterit. Ubi exoriri contingant inter Praesidem vel Abbates dubia vel dissentiones quas componi nequeunt in propria Congregatione, iuxta provisa in Decreto *Inaestimabilis unitatis vinculo* (16 Sept. 1893) ad Abbatem Primatem confugiant. Recursus ad Apostolicam Sedem, servatis de iure servandis, semper omnibus patet.

—173. Eius etiam erit cum suo Concilio dimittere monachum choralem vel conversum simplicia vota professum: cogere Praelatum exeuntem, quando opus sit, ad rationes componendas cum novo Praelato: monachos contumaces ad submissionem compellere et si necesse erit ad eorum expulsionem procedere. Sine eius licentia Procurator in Curia Roma abesse non licet. Consensus eius requiritur ad alienationes; ad translationem monachi ad aliam Congregationem; ad horarium Divini Officii in monasterio stabilitum mutandum; ut saecularis aliquis in monasterio commorari possit; ut quis munus professoris in monasterio obeat qui non sit ex nostro Ordine; ut liber typis mandetur; ut Praelatus negotia magni momenti propinquorum suorum tractare possit.

—174. A Concilio Praesidis unice sunt Praelati Assistentes, Procurator in Curia, Magister schola-

rum, Assessor in rebus iudicialibus, Inspector rei familiaris. Praesidem Assistentes consilio operaque iuvent in Congregatione universa administranda: reliqui iis in rebus quae ipsorum cuiusque officii ac muneris sint.

—175. In sequentibus causis Praeses a consultoribus sententiam exquirere tenetur: in definitione circa sensum aut praxim alicuius Constitutionis; pro consensu ad alienationes magni momenti; pro monachi translatione ad aliam Congregationem.

—176. Praeses et Assistentes intra quadriennium habent totam Capituli Generalis auctoritatem ad novum condendum decretum pro quocumque casu obveniente de quo Constitutiones nostrae nihil providerint, quive per eas plane ac perspicue definiri non queat. Decretum huiusmodi ratum esse debet ac vim legis habere usque ad proximum dumtaxat Capitulum Generale; sed non prius mandabitur executioni quam Praelati regiminis auditi fuerint.

—177. Praeses sibi in Secretarium assumat monachum aliquem gravem, qui tamen in consessibus quibus intererit nullum habebit suffragium. Dicitur autem Secretarius subiectus manebit suo Praelato nisi quando per Praesidem ob negotia quaelibet agenda eximatur ab immediata sui Praelati iurisdictione. In absentia Secretarii, vice-Secretarium Praeses poterit assumere. Secretario liceat de consensu Praesidis assistere in quolibet actu cui intererit Praeses, excepto Capitulo Generali, nisi expresse per Constitutionem aliquam excludatur. Negotia alicuius momenti scriptis mandentur et a Praeside Capitulo Generali exhibeantur.

—178. Proprium sigillum Praeses habeat, et literas hoc sigillo obsignatas aperiri nemini licebit praeter eum cui fuerint inscriptae.

—179. Cum Praeses sit pater communis totius Congregationis, pro eo defuncto omnes orare debent quasi uniuscuiusque monasterii fuisset monachus.

—180. Quando vita aut gradu cesserit Praeses, in locum Praesidis succedat Praelatus Assistens a Capitulo Generali electus, potestatemque ad Capitulum Generale proximum gerat.

—181. Officio Praelati Assistantis intra quadriennium vacanti succedat ille qui in locum eius a suo conventu eligitur.

—182. In locum Procuratoris in Curia Romana, aut cuiuslibet alterius officialis capitularis de quo nihil nostris legibus provisum est, intra quadriennium deficientis, quamprimum sufficiatur aliquis a Praeside et Assistantibus eligendus. Magistri novitiorum communis novitiatus electio fiat ex nominatis ab Abbatibus regiminis, ut supra (Num. 155).

—183. Ea omnia quae in nostris Constitutionibus ad Regimen Congregationis referenda sunt, semper referri debent ad Praesidem et Assistentes per literas. In magni momenti negotiis Praeses et Assistentes in concilio convenire debent.

CAPUT IV

DE VISITATIONIBUS

—184. Praeses altero quoque anno omnia Congregationis monasteria visitabit. Si legitime impe-

ditus fuerit, Praelatus Assistens ab ipso electus vicem eius supplebit. Visitationem monasterii Praesidis facient duo Visitatores a Capitulo Generali ad hoc electi.

—185. Visitationem extraordinariam non faciet Praeses nisi unus e Praelatis Assistantibus eam necessariam esse declaraverit, vel nisi sex saltem conventuales, quorum duo sint a Concilio, aut tertia pars parvi conventus, assignata causa sufficiente, id petierint. Quod si causam assignatam non probaverint, tamquam culpae gravissimae rei irremissibiliter punientur. Visitatio ordinaria fiet impensis Congregationis, extraordinaria vero impensis monasterii quod visitatur.

—186. Pro ordinaria Visitatione sufficiet extraordinaria, si illa nondum facta fuerit quando haec postulatur.

—187. De tempore Visitationis monasterii omnes monachos suos Praelatus monere debet; potestatem autem habet Praeses, Visitatione durante, ad seipsum vocare quempiam monachum in missionibus vel in Prioratibus Abbatiae annexis vel alio degentem; et similiter cuique monacho extra monasterium degenti ad Visitatorem est liber accessus.

—188. Visitator hoc unum in Visitationibus intendet ut leges ecclesiasticae et regulae nostrae fideliter ab omnibus observentur. In Visitatione Praeses diligenter inquirat iuxta Canones et Constitutiones de statu monasterii tam in spiritualibus quam in temporalibus. Quaecumque servanda vel reformanda existimat ea discrete ad meliorem revocare conditionem studebit. Monachos si necesse sit per

Abbatem loci corrigendos curabit. In monasteriis moram trahere non debet, et non solum diligenter sed etiam celeriter Visitationem perficere tenetur: ideo ne ultra tres vel ad summum quatuor dies Visitationem producat. Durante Visitatione, totum regimen externum contentiosum conventus pertinebit ad Visitatorem; iurisdictio autem voluntaria penes Abbatem manebit.

—189. Domus et missiones monasterio subiectas non localiter visitabit Praeses, nisi quando ipse censuerit oportere, quia harum domorum Visitatio ordinaria ad Abbatem proprium pertinet. Antequam ad talem Visitationem Praeses procedat, Abbatem monasterii ad quem pertinet domus vel missio de hac re certiore facere debet, ut et ipse Abbas ad Visitationem praesens esse possit. In Visitatione monasterii tamen, Praeses diligenter examinabit status domorum minorum ac missionum, et ordinationes Abbatis de earum disciplina aequae ac monasterii perpendet.

—190. In sua Visitatione Praeses potest audito Concilio monasterii decernere atque ordinare quod bonae disciplinae prosit secundum Constitutiones nostras et leges ecclesiasticas, etiamsi aliter atque ipse sentiant Praelatus et Conciliarii; exceptis tamen praeceptis obedientiae et censuris quae totum conventum ligent: nullum enim praeceptum generale obedientiae ponere, aut censuram generalem ferre poterit, sine consensu maioris partis Conciliariorum.

CAPUT V

DE ELECTIONE ABBATIS

—191. Abbas regiminis potestate perpetua eligitur a monachis conventus proprii choro addictis et solemniter professis, etiamsi Canonici Neoportenses forte sint.

—192. Infra mensem a vacatione Abbatiae, Praeses Congregationis ad suffragationem vocet electores qui omnes tenentur adesse. Si quis impediatur, excuset causam scripto Praesidi, simulque aut abstinere se suffragio testetur, aut procuratorem sibi ex electoribus adsciscat cui mandatum generale tradat. Procurator igitur tam suo quam mandantis nomine unam eandemque personam eligere debet.

—193. Nemo plus quam duo mandata procuratoria accipere potest.

—194. Electioni Praeses praesideat; suffragium tamen non ferat. Sin impediatur, vices suas supplere priorem Assistentem iubeat.

—195. Tractatus ad electionem pridie habeatur.

—196. Ad electionem duae e tribus partibus suffragiorum secretorum requiruntur. Si nemo tulerit, tum inita sextum suffragatione is declarabitur electus qui mediam partem tulit plus uno. Si nec ita convenerit, rursus iniatur sextum suffragatio: si nondum convenerit, Abbatem Praeses eligat.

—197. Abbas sic electus semestri spatio Episcopo loci, vel eo impedito alteri Episcopo se sistat, auctoritate Apostolica benedicendus.

—198. Si qui sedem suam Abbas honesta causa reliquerit, is Abbatiae alicuius veteris nostrae venerabilis Congregationis titulum assumat.

—199. Electio Prioris Ecclesiae Cathedralis Neoportensis fiet iuxta Statuta eiusdem Capituli a S. Sede approbata. Pro modo electionis quando haec dignitas unitur officio Superioris domus communis, vide supra (Num. 69).

CAPUT VI

DE CAPITULO CONVENTUALI

—200. Commune conventus Capitulum ex familia universa saltem quotannis Abbas cogat. Nemini ab hoc Capitulo annuali licebit abesse sine licentia Abbatis, et iis qui administrationes habent hanc licentiam vix aut ne vix quidem concedat Abbas. Si quis impediatur sese scripto Abbati excuset.

—201. Hoc Capitulum in monasterio ipso teneatur et tempus indicetur ab Abbate mense saltem ante coetum.

—202. In deliberationem adducantur quaecumque e re communi videantur esse. Negotia autem pro quibus consensus Capituli Conventualis requiritur sunt: admissio novitiorum ad vota simplicia; alienatio fundorum aut reddituum aut mobilium pretiosorum et reliquiarum insignium; pecunia mutuo danda; locationes in longum tempus; contractus gravioris momenti; lites graves et sumptuosae; debitorum magni momenti contractio; oppigneratio; hypotheca; coenobium aperiendum novum; susce-

ptio novae missionis; cooptatio seniorum; Delegati ad Capitulum Generale electio.

—203. In Capitulo Conventuali eligantur duo examinatores pro confessoribus, duo computatores, ac etiam duo censores pro libellis. Pro his omnibus vox Capituli sit decisiva; aut si aequales sunt partes, pars illa valebit a qua stat Superior.

—204. Delegatus ad Capitulum Generale habebitur pro electo qui plus media suffragiorum parte praesentium sortitus fuerit. Abbas suffragium non ferat et alio secedat durante deliberatione et suffragatione. Delegatus a suo conventu electus, elapso eodem Capitulo, viri capitularis privilegiis non gaudebit.

—205. Acta Capituli scriptis mandata ab Abbate et Secretario subsignentur et in archivis monasterii asserventur.

—206. Quae in Capitulis Conventualibus tractata fuerint, et quae praeceperit Capitulum ne revelentur, nemo revelare audeat sub poena gravissima.

CAPUT VII

DE CONCILIO SENIORUM MONASTERII

—207. Concilii Seniorum partem dimidiam eligat conventus, et deinde Praelatus coenobii alteram dimidiam seligat. Renovetur Concilium singulis annis.

—208. Ubi monachi sunt decem numero Conciliarii duo sint: quatuor ubi monachi sedecim aut non plures quam viginti. Ubi plures quam viginti, ad

singulas decades singuli addantur Conciliarii. Senarius monachorum numerus pro decade habeatur. Ubi Conciliariorum numerus est impar, supra numerum parem Abbas Conciliarium eligat.

—209. Hi censebuntur electi Conciliarii a Capitulo Conventuali qui unica suffragatione plura suffragia tulerint. In Conciliariis deligendis eorum praecipue monachorum habeatur ratio qui sunt in missionum muneribus exercitati, ita ut tertia saltem Concilii pars ex hisce constet qui per tres ad minimum annos in missionibus degerint.

—210. Praelatus monasterii singulis saltem mensibus Concilium Seniorum cogat, et semper cum res occurrerint gravioris momenti sive in spiritualibus sive in temporalibus.

—211. Superior iudicio Conciliariorum parere tenetur ex Bulla *Diu quidem* cum de sumptibus agitur extraordinariis, qui aureorum Britannicorum centum et viginti summam exsuperent.

—212. Eorumdem insuper consensus requiritur ut missae perpetuae accipiantur; ut missioni a nostris administratae, ad Episcopum tamen de iure pertinenti, renunciatur; ut novitius ad habitum vel ad perseverantiam admittatur; ut aliquis ad collegium mittatur pro gradibus academicis suscipiendis; ut cursus studiorum aut tempus ante sacerdotium brevietur; ut saeculares in monasterio commorentur; ut monachus in aliam transeat iurisdictionem, vel ad missionem apostolicam destinetur; ut gradus super alios in habitu antiquiores alicui concedatur.

—213. Iudicium Seniorum, tametsi Praelatus eo non adstringitur, illud haud temere negligat,

maxime ubi omnium consenserint sententiae; exempli gratia: cum Prior et Cellerarius monasterii et Oeconomus missionalis nominentur; cum Abbas diutius abesse voluerit; in designatione aut remotione superioris alicuius missionis.

—214. Quando Praelatus super uno vel altero negotiorum numeris 211, 212, 213 enumeratorum Concilium convocare vult, de hoc omnes Conciliarios certiores facere tenebitur una saltem hebdomada ante diem Concilio addictam.

CAPUT VIII

DE OFFICIALIBUS CONGREGATIONIS

—215. Officiales Congregationis sunt: Praelati Assistentes; Procurator in Curia Romana; Magister scholarum; Assessor in causis legitimis ac iudiciariis; Inspector rei familiaris.

—216. Eliguntur hi omnes in Capitulo Generali, ut supra (Num. 153, 154).

—217. Tenebitur Procurator in Curia omnia Congregationis fratrumque nostrorum negotia quae ad Curiam Romanam spectant tractare; ea autem quae Congregationem ipsam tangunt tractet sub moderamine Praesidis, nec poterit ullam ob causam Roma abesse nisi prius a Praeside, cuius iurisdictioni immediatae subiacet, specialem inde redeundi obtinuerit licentiam.

—218. Dicto etiam Procuratori mandamus in virtute sanctae obedientiae, ne in ullo Romano tribunali aliena gerat negotia, nostris neglectis, aut cum

periculo alicuius incommodi vel infamiae inde in Congregationem redundaturae.

—219. Ratione proprii officii, Magister scholarum sub moderamine Praesidis procuret ut quaecumque de studiis sive monachorum sive epheborum monachis commissorum in Constitutionibus vel Statutis Capitulorum Generalium sapientissime definita sunt, sedulae executioni mandentur. Idem scholas circumeat frequenter; ingenia, doctrinam alumnorum coram periclitetur; at si quid emendandum novandumque sit coenobii Praepositum aut Praesidem Congregationis moneat; nihil autem ipse auctoritate ordiatur sua.

—220. Assessor in causis legitimis ac iudiciariis adstet Praesidi a latere.

—221. Inspector rei familiaris de re familiari convenienter legibus quaerat; tabulas expensi et accepti sive monasterii sive singularum missionum sibi iubeat a Praelato exhiberi.

—222. Procurator in Curia, Magister, Assessor et Inspector officia sua infra quadriennium non possunt resignare, nisi adsit causa quae Praesidi atque uni saltem ex Praelatis Assistentibus sufficere videatur.

CAPUT IX

DE IUDICIIS

—223. Causae civiles et criminales monachorum spectant in prima instantia ad immediatos monasteriorum Superiores, qui tanquam iudices ordinarii

poterunt ferre sententias etiam definitivas iuri aut Constitutionibus et Statutis nostris non repugnantes. In causa vero criminali, nullam poterunt extendere poenam ultra tertium mensem praeter censuras regulares in culpam gravissimam latas, quas extendere poterunt ad proximum usque Capitulum Generale.

—224. Quando monachus graviter a suo Praelato laesum se existimaverit, intra decem dies suam petitionem seu appellationem scriptam atque a se ipso subsignatam ad Praesidem mittere poterit. Si autem Praeses sit Praelatus ordinarius monasterii cuius appellans est conventualis, petitio ad Praelatum Assistentem a Capitulo Generali electum mitti debet. Forma appellationis illa erit: *Ego N. N. monachus*, etc., ut in Formulario, XXI.

—225. Sententia tamen definitiva in causa criminali, sive a Praelato immediato sive a Praeside lata, executioni mandabitur non obstante appellatione: nec ab ea appellare licitum erit cum delinquenti impositae fuerint illae dumtaxat poenae quae culpis levibus gravibusve assignantur.

—226. Quoties Praeses appellationem seu petitionem acceperit, sub poenis culpae gravissimae assignatis appellantis Praelatum per litteras quam primum poterit de illa certiore facere tenebitur; atque insuper (si appellationis definienda sit causa) rogare ut omnia instrumenta archetypa ad causam spectantia, processus et sententiam ad seipsum mittat. Itaque eidem Praelato praecipimus in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenis supradictis, ut prima data occasione haec instrumenta, processus et sententiam

ad Praesidem, coram duobus e fratrum numero testibus, mittat, officii sui sigillo obsignata. Quod si non fecerit, tanquam reus culpae gravissimae deferetur ad Capitulum Generale proxime futurum, a quo tandem causa sic intermissa diiudicabitur.

—227. Acceptis autem supradictis documentis et cognita causa sententiam feret Praeses, eamque executioni mandandam curabit, sive fuerit prioris sententiae moderatio, sive revocatio ex toto vel ex parte, sive demum confirmatio.

—228. Omnia instrumenta, sententiasque archetypas ad processum spectantes, et ipsum quoque processum simul ac Assessoris votum, Praeses apud se servabit, Capitulo Generali proxime futuro exhibenda.

ATTESTATIO

Nos Patres infrascripti, ad hunc novum codicem Constitutionum conficiendum a Sancta Sede per Literas Apostolicas *Diu quidem*, diei 29 Iunii 1899, constituti et commissi, testificamur nos opus nobis impositum absolvisse in monasterio S. Michaelis et Omnium Angelorum apud Belmont, comitatu Herefordiensi in Anglia, die festi S. Gregorii Magni, 12 Martii, 1900. In quorum fidem nomina nostra subsignamus.

- D. FRANCISCUS AIDANUS GASQUET,
Commissarius primus.
- D. EDMUNDUS FORD,
Prior S. Gregorii apud Downside.
- D. OSWALDUS SMITH,
Prior S. Laurentii apud Ampleforth.
- D. OSWALDUS O'NEILL,
Prior S. Edmundi Duacensis.
- D. WILFRIDUS RAYNAL,
Prior Ecclesiae Cathedralis Neoportensis.
- D. BENEDICTUS MACKEY,
Procurator in Curia.

DECRETUM

CONGREGATIO Anglicana Monachorum Nigrorum Ordinis S. Benedicti, de Ecclesia Catholica in Anglia praeclarissime merita, saepius Apostolicae Sedis benevolentiam ac sollicitudinem in se experta est. Nam, antiquioribus omissis, Paulus V, Urbanus VIII, Benedictus XIV, Pius IX, Pontifices Maximi, ad disciplinam monasticam tuendam et fidei propagationem, in quam praecipue illa Congregatio incumbere, fovendam, opportunas leges statuerunt. Eae tamen, calamitate temporis id exigente, nonnihil a pristinis Benedictini Ordinis consuetudinibus dissentire videbantur.

Nuper vero SSmus D. N. Leo Papa XIII, ratus advenisse diem quo Congregatio Anglo-Benedictina eam vitae disciplinam instauraret, quam et conditio temporum et nativa Ordinis instituta desiderant, derogando in hac parte praefatorum Pontificum Constitutionibus, per suas Literas Apostolicas *Religiosus Ordo*, datas die 12 Novembris 1890, et *Diu quidem*, datas die 29 Junii 1899, iussit novum Constitutionum codicem confici iuxta normas ab ipsa Sanctitate Sua in praefatis Apostolicis Literis datas, simulque delectos ex eadem Congregatione viros nominavit, quibus unice, audito tamen Capitulo Generali Congregationis, haec cura committeretur. Porro iidem viri assidua solertique opera,

collatis inter se consiliis, brevi sibi demandatum munus explerunt, perfectumque opus Constitutionum ac Declarationum Regulae S. Benedicti huic S. Congregationi Episcoporum et Regularium examinandum obtulerunt, pariter postulantes ut in formula Professionis sibi liceret omittere expressam mentionem voti de suscipiendo pastorali ministerio, voto tamen ipso implicite retento; atque ut Monasterio S. Michaelis apud Belmont ad studia designato adderetur, *vel in alio monasterio a Capitulo Generali designando*. Sacra haec autem Congregatio, omnibus diligenter ad examen revocatis, paucisque emendatis, praedictas Constitutiones ac Declarationes prout continentur in hoc exemplari, cuius autographum in Archivio eiusdem S. Congregationis servatur, definitive approbavit et confirmavit, uti pariter tenore praesentis Decreti definitive approbantur et confirmantur.

Factaque de his omnibus relatione SSmo Domino Nostro Leoni PP. XIII, in audientia habita a me infrascripto, Cardinali Praefecto memoratae S. Congregationis, die 1 Iulii 1900, Sanctitas Sua huiusmodi Decretum suprema Sua Auctoritate adprobare et confirmare dignata est. Contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 4 Iulii 1900.

FR. HIERONYMUS M. Card. GOTTI, Praef.

L. S.

A. PANICI, Secretarius.

LITERAE RR. D. ABBATIS PRAESIDIS CONGREGATIONIS ANGLIAE MONACHORUM NIGRORUM
S. BENEDICTI

Dilectis Fratribus, Monachis Benedictinis Congregationis Angliae, Salutem in Domino!

Capitulum Generale nostrae Congregationis anno 1905 habitum, RR. DD. Abbatem Praesidem et Abbates regiminis, cum Magistro scholarum, Commissarios nominavit 'pro emendandis et imprimendis Declarationibus, Directorio et Formulario' (Sess. II. iv). Nonnullae immutationes in Declarationibus et Constitutionibus quae alicuius momenti esse videbantur, introductae sunt de licentia S. Sedis ad petitionem Capituli; aliae quae substantiam rerum haud attingebant, factae sunt auctoritate Commissariorum, ipsis a Capitulo concessa.


Quod ad textum S. Regulae cum Declarationibus evulgatum attinet, editus est cura RR. D. Cuthberti Butler, Abbatis de Downside, cui idem Capitulum commisit ut 'textum criticum' componeret.

D. FRANCISCUS AIDANUS GASQUET

Abbas Praeses

30 Sept., 1908.

(170)





DIRECTORIUM

CONGREGATIONIS ANGLIAE

MONACHORUM NIGRORUM S. BENEDICTI

DIRECTOR

CONSERVATION

DEPARTMENT OF THE INTERIOR

CAPUT I

DE CAPITULI GENERALIS CELEBRATIONE

I—DE HIS QUAE PRAECEDUNT CAPITULI GENERALIS SESSIONES

1. Capitulum Generale tres menses ante celebrationem eiusdem a Praeside convocabitur (Formularium, I); qui quidem Praeses diem ac locum a se constitutos indicabit, simulque Praelatos monebit de libris quos ad Capitulum afferre debent. (Constit. Num. 147, 157, 177, 228).

2. Superior monasterii in quo celebrandum erit Capitulum mature providebit ut Capitularibus omnibus praeparentur cellae decenti suppellectili instructae.

3. Mandamus ut eo die quo Capitulum Generale inchoabitur in singulis Congregationis nostrae monasteriis cantetur Missa sollemnis votiva de Spiritu Sancto, iuxta rubricas: si propter festum duplex primae classis Missa de S. Spiritu celebrari non possit, addatur Missae de festo collecta de S. Spiritu, sub unica conclusione (S. R. C., 27 Mart. 1773): ut sua gratia dirigat Deus Patres in Capitulo congregatos. Capitulares omnes huic Missae intererunt; Praelati mitrati induti rochetto, mozzetta, cruce pectorali et bireto, ceteri habitu choralis.

4. Personae quae debent Capitulo Generali

interesse enumeratae sunt in Constitutionibus, cap. II, et ubique eodem ordine sedebunt.

5. Eorum catalogus cum nomine et titulo a vice-secretario pridie praeparari debet. Secretarii vices usque ad electionem Secretarii Capituli supplebit Procurator in Curia.

6. Praelatus aut vir Capitularis officio vel dignitate sua, vel activa seu passiva voce privatus, ad Capitulum poterit quidem venire; at nisi cognita causa insons declaretur, nullam in eo sedem obtinebit.

7. Sedente Capitulo, Frater cui ea fuerit cura demandata, pulsibus campanae Capitulares ad quoslibet actus publicos convocabit. Omnes simul in refectorio prandeant coenentque Capitulares; nec quisquam a refectioe communi abesse audeat sine expressa Praesidis licentia. Utraque in refectioe cantentur benedictio mensae et gratiarum actio quae ad calcem Breviarii apponuntur; post caput Scripturae sacrae, in prandio legatur Regula Sancti Patris Benedicti, in coena Constitutiones nostrae.

8. In Ostiarium Capituli nominabit Praeses monachum non capitularem, diligentem et fidelem.

9. De omnibus omnino rebus in Capitulo Generali discutiendis sententias suas dicent Capitulares; et quando eis aliqua proponetur difficultas ponderanda aut quaestio solvenda, unicuique licebit libere, ac sine ulla interpellatione, quid de re proposita sentiat dicere. Tum si quis existimet rationes a quoquam allatas esse minus sufficientes, eiusve allegationes esse falsas aut dubias, timeatque ne eiusmodi rationes seu allegationes iudicium pervertant ceterorum, a Praeside petat licentiam

replicandi, quam iste petenti concedere haud gravetur. Quod si Patres inter se dissentiant, propositio scriptis mandetur a Secretario, totaque controversia ad maiorem suffragiorum numerum dirimatur calculis secretis.

10. Quia aequissimum est ut qui maiore pollent rerum experientia potius quam alii eligantur; ideo in omni electione, ubi duo pluresve paria obtulerint suffragia, praefereatur is qui fuerit habitu antiquior.

11. In quavis electione per Capitulum Generale facienda, si inveniatur suffragium aliquod vitiosum, seu malitiose latum (chartula nimirum, in qua nullum inerit nomen; aut in qua nomen inerit aliis ac cetera nomina typis impressum, nomenve alicuius passivam vocem non habentis; aut in qua denique suffragantis nomen patefactum erit), non idcirco irrita censebitur electio; sed, ablato suffragio vitioso atque in urnam secundam iniecto, reliquorum scrutinium absolvetur.

12. Quoniam contra machinationes ambitiosas et illicitas in electionibus canonicis, multae extant summorum Pontificum censurae; ideo, ne quis Patribus supersit ignorantiae praetextus, declaratur nomine machinationis ambitiosae et illicitae nos omnem intelligere pactionem, obligationem seu promissionem inter ullos de suffragiis quomodolibet ferendis mutuo factam, per quam adimitur libertas suffragandi ex conscientia; aut omnem sui proprii suffragii patefactionem, per quam proditur suffragii secretum. Nemo igitur quidquam huiusmodi pro se ipso machinetur, vel pro quovis

alio, sub poena culpae gravissimae assignata: quam in poenam volumus eos etiam incurrere qui tales machinationes ad Capitulum Generale non deferunt, si modo illas adeo habeant compertas ut probare possint.

II — SESSIO PRIMA CAPITULI GENERALIS

QUID IPSO CAPITULI GENERALIS INITIO SIT AGENDUM ET DE ELECTIONE SECRETARII, DEPUTATORUM ET COMPUTATORUM CAPITULI

13. Hora ab Abbate Praeside assignanda diei supradicti (Num. 1) incipietur prima Capituli Sessio, cuius audito signo Capitulares statim convenient in locum destinatum. Ibi omnes simul, flexis genibus, Spiritus Sancti gratiam invocabunt, recitando choris alternis Hymnum, *Veni Creator Spiritus*; eoque completo, Rmus Praeses, in pedes erectus, dicet Versus et Orationes quae in Caeremoniali reperiuntur. Tum, Patribus in ordine considentibus, idem Rmus Praeses habebit orationem, qua eos exhortabitur, ut contemptis propriis commodis ac depositis partium studiis, nihil aliud nisi Dei gloriam, Patriae bonum, et Congregationis decus sibi ob oculos ponant, quotidianisque Sacrificiis et orationibus Deum impensius precentur, ut cunctas Capituli actiones ad suum dirigat honorem.

14. Posthaec, Rmus Praeses Capitulares omnes recensebit, tum praesentes, tum etiam absentes.

15. Perlectis absentium excusationibus, examinatis literis procuratoriis, admissisque admittendis, Capitulares omnes qui Capitulo Generali intererunt, nemine quidem excepto, promittent se servaturos

fideliter secretum in illis omnibus quae, maiore suffragiorum numero, singulis in Sessionibus iudicabuntur digna secreto: hoc Promissum videre est in Formulario, IV.

16. Deinde Praeses, stola e collo pendente, omnes in medio Capitulo genuflexos, post orationem Dominicam ab eis simul recitatam, absolvet in cautelam sub illa forma: *Auctoritate omnipotentis Dei*, etc., ut in Formulario, V. Tum prior Assistens, vel, si ipse abfuerit, secundus, accepta stola, Praesidem similiter genuflexum, post recitatam ab eo eandem orationem, absolvet illis verbis: *Et ego, eadem auctoritate mihi concessa, te absolvo*, etc., ut ibidem. Sed absolutio ista ad hoc tantum valet, ut omnia quae in praesenti Capitulo agentur rata ac firma sint.

17. Postea si quis Praelatus aut Vir Capitularis, officio vel dignitate sua, vel activa seu passiva voce privatus, in pristinum statum restitui petierit, Capitulum illico, tacitis suffragiis atque unica suffragatione, duos eliget Commissarios, qui eius causam accurate examinent. Hac in electione, passiva voce carebunt ii omnes qui iudices iam sederunt in causa de qua agitur. Ad suffragia scrutanda assumuntur tres Delegati. Qui autem duo, passiva voce gaudentes, plura fuerint suffragia consecuti, habebuntur pro legitime electis.

18. Commissarii, statim ut a primo Scrutatore pronuntiati fuerint, ad causam discutiendam enixius incumbunt, eandem Capitulo quamprimum exposituri. Audita horum relatione, Patres Capituli, ad maiorem suffragiorum numerum, causam diiudica-

bunt, et supplicem, si fuerit absolutus, in Capitulum admittent; quod cum contigerit, subrogatus in locum Praelati supplicis erit Capitulo excludendus, nisi alio nomine ei debeat interesse. Simili modo se gerent Patres Capituli adversus delegatum Praelati supplicis atque absentis: talis enim Praelatus, aequae ac ceteri, delegandi iure potietur. At vero nemo eorum qui antea dicta in causa sententiam tulerint, ullum in ea nunc diiudicanda suffragium habebit: quapropter, illis ex aula capitulari egressis, Capitulo pro hac vice praesidebit qui ordine fuerit primus.

19. Diiudicata tandem causa, priores iudices et supplex ipse advocabuntur in aulam capitularem, ubi vice-secretarius sententiam a Capitulo latam alta voce leget coram omnibus. Postea supplex, si per sententiam fuerit in integrum restitutus, promissum faciet de secreto servando (supra, Num. 15), exindeque suam in Capitulo sedem occupabit.

20. Tum eligendus erit Secretarius Capituli. Fiet electio ista ab omnibus Capitularibus una duntaxat vice suffragantibus per suffragia occulta, quae quidem Praeses ac Praelati Assistentes scrutabuntur. Is autem ab eodem Praeside pronuntiabitur electus cui plura obtigerint suffragia, verum eligetur nemo qui non fuerit Vir Capitularis.

21. Electus in Secretarium et pronuntiatus officium statim accipiet; atque in manibus Praesidis promittet quod dictum officium fideliter praestabit (Formul., VI).

22. Secretarius sedebit ad mensam in medio Capitulo positam, ac praesto habebit authenticum

Constitutionum exemplar, fabas albas et nigras, urnasque ad suffragia cum opus fuerit recipienda. Sui muneris erit omnes Petitiones et Memorialia Capitulo praesenti oblata alta voce legere antequam tradantur Deputatis; ac praeterea in libris ad hoc destinatis scribere quaecumque Capitulum statuerit seu ordinaverit. Initio cuiusque consessus leget quod in praecedente statutum fuerit seu ordinatum; post singulasque consultationes, notabit seorsum quae in Acta, quae in Definitiones referri debent. Ille solus fidem facere poterit de Statutis, de ordinationibus, de responsis ad Petitiones aut Memorialia Capitulo Generali exhibita, deque aliis omnibus quae in Capitulo tractantur; eiusque testimonium, suo subscriptum nomine, eandem habebit auctoritatem ac si ab omnibus Capituli Patribus fuerit subscriptum.

23. Dicto autem Secretario praecipitur in virtute sanctae Obedientiae, ne testimonium subscriptione sua munitum det ulla de re quae non sit relata in Acta seu Definitiones Capituli, nisi vel Capitulum vel Praeses eum eiusmodi testimonium dare iusserit. Quod si Praesidi et Concilio eius constet, ipsum malitiose verbum aliquod omisisse vel adiecisse in quovis Capituli Statuto seu ordinatione, ita ut verum ac nativum illius Statuti seu ordinationis sensum mutaverit; eum declarent falsarium, atque officio suo privent, immo et iure vocis activae et passivae per totam vitam.

24. Deinde pluralitate suffragiorum totius Capituli eligentur Capitulares quatuor, qui vocentur Capituli Deputati: duo nempe pro Iustitia, prima

suffragatione; atque altera suffragatione, duo pro Gratia. Duplex ista electio eodem conficietur modo quo supradicta Commissariorum electio (Num. 17). In utraque suffragia scrutabuntur tres Delegati, eorumque primus electos pronuntiabit: sed in Deputatum pro Iustitia nemo eligetur qui iudicandi potestate, ex quovis officio, potitus fuerat intra quadriennium. Ad electos pertinet omnes expendere Petitiones ac Memorialia sibi a Capitulo commissa, de iisque ad totum Capitulum referre in secunda Sessione.

25. Posthaec, Rmus Praeses duos e Capitularibus Deputatos nominabit, quibus Praelati et monialium Procuratores monasteriorum suorum Status tradant examinandos. Hos Status toti Capitulo exponent Deputati in secunda Sessione, postquam negotia Iustitiae et Gratiae expedita fuerint. Duo erunt cuiusque Status exemplaria, quorum alterum, tam a Deputatis quam a Praeside et Secretario Capituli subsignatum, reddetur ei qui Statum attulit; alterum pariter subsignatum tradetur Praesidi pro quadriennio ineunte, ut is eodem in ordinaria monasterii Visitatione utatur. Deputatus vero non poterit monasterii sui Statum examinare: proinde in eius locum alius sufficiatur Capitularis. Mandatur dictis Deputatis, sub poena culpae gravi debita, ut accurate seduloque examinent omnes monasteriorum Status quorum examen sibi fuerit commissum, eosque fideliter Capitulo exponant. Ipsis etiam mandatur in virtute sanctae Obedientiae, sub eademque poena, ut si quis Praelatus vel monialium Procurator monasterii sui Statum non

attulerit, illum ad Capitulum Generale deferant: Praelatus autem sic delinquens poenae supradictae statim addicetur citra spem veniae. Eamdem quoque poenam luet monialium Procurator similiter delinquens, nisi revera constet eum non potuisse monasterii sui Statum afferre.

26. Rmus Praeses ad Capitulum afferet Acta Visitationum in singulis Congregationis nostrae monasteriis a se factarum quadriennio proxime superiore; atque haec omnia Secretario tradentur legenda in secunda Sessione.

27. Porro RRmi Assistentes tres nominabunt Capitulares in arte computandi versatos, qui, postquam promiserint se fideliter suo functuros officio, aequales facient partitiones summarum in regimine generali Congregationis expensarum, utpote in negotiis apud Sanctam Sedem et similia: at non prius ultimam partitionibus suis manum imponent, quam earum summas causasque in Capitulo perlegerint.

28. Praelati et monialium Procuratores (seu eorum Delegati) accuratos ad Secretarium tunc tradent catalogos eorum qui post Capitulum proxime praecedens 1) ad Habitum vel Professionem admissi fuerint; 2) ad Sacerdotium promoti fuerint; 3) e vita excesserint (addito gradu cum loco et die obitus cuiusque defuncti). Singula exemplaria Defunctorum catalogi Secretarius post Capitulum distribuet singulis monasteriorum Superioribus, qui eundem coram suis conventibus legi iubebunt, ut omnes statim orent pro Defunctis ibi commemoratis; atque insuper primam constituent diem non

impeditam qua pro illis, toto Defunctorum Officio persoluto, cantetur Missa solemnis cum absolutione in fine.

29. Finita hac prima Capituli Generalis Sessione, preces a Praeside dicuntur ut in Caeremoniali.

III — SESSIO SECUNDA CAPITULI GENERALIS

DE NEGOTIIS AGENDIS

30. Statim ut preces de more recitatae fuerint, Secretarius Capituli leget Acta Visitationum in singulis Congregationis nostrae monasteriis a Praeside factarum quadriennio proxime elapso. Haec quidem omnia attento animo considerabunt Patres, quaeque, iustis de causis, sibi videbuntur reicienda reicient, cetera approbaturi. Legentur pariter Statuta et Definitiones praecedentis Capituli Generalis.

31. Nova Statuta et Definitiones, si Capitulo placet, tunc consideranda sunt et definienda, secundum leges in Constitutionibus positas (Num. 152).

32. Deinde Deputati pro Iustitia omnes Petitiones atque Appellationes contra quoscumque, in causis civilibus aut criminalibus quadriennii proxime superioris Capitulo Generali oblatas, sibi quoque eo iubente commissas, singillatim legent coram universis Capituli Patribus; qui, audita Deputatorum relatione, de hisce Petitionibus atque Appellationibus statuent ac decernent quod secundum iustitiam et aequitatem in Domino iudicaverint expedire. In causa vero Appellationis per Capitulum Generale definienda, nemo sedebit iudex qui antea in eadem

causa sententiam tulerit. Nec quisquam sedebit iudex in sua propria causa; sed ubi fuerit auditus, ex aula capitulari egredietur. Sententia a Patribus in quavis causa, sive civili sive criminali, lata, in libro Actorum Capitularium describi debet ac conservari.

33. Postea Deputati pro Gratia omnes Petitiones Capitulo Generali oblatas, eiusque iussu sibi commissas, similiter legent coram iisdem Patribus; qui, auditis ut supra Deputatis, Petitiones illas meliore quo poterunt modo expedient.

34. Definitis omnibus quae ad supradictas spectant Petitiones, expendentur Memorialia quae nonnulli forsitan e nostris, ob commune Congregationis bonum, Capitulo duxerint offerenda. Quamobrem illa publice legent ii Deputati quibus in prima Sessione commissa fuerint iussu Capituli; auditaque Deputatorum relatione, de iisdem stant Patres quod maxime e re Congregationis fore existimaverint.

35. Tum Deputati quibus monasteriorum Status commissi fuerint, horum Statuum fusius reddent rationem, eorumque insuper summaria Capitulo Generali legent, ut Patres videant quid de illis sit statuendum; quae summaria deinde, a se subscripta, ipsis Statuum exemplaribus appendentur.

36. Expeditis hisce Statibus, Computatores rationem reddent expensarum Congregationis pro quadriennio iam elapso, quarum summaria a se subscripta Capitulo Generali legent, tradentque consideranda. Eidem quoque legent partitiones summarum quas Congregatio universa solvere

tenetur. In iis ostendent qua de causa unamquamque summam Congregationi imposuerint, easque, postquam a Capitulo fuerint approbatae, subscribent. Partitiones istae, sicut et supradicta Statuum et Computorum summaria, ordinatim a Deputatis et Computatoribus transcribentur in libro ad hoc destinato, qui quidem, a Praeside ac Secretario Capituli subscriptus, una cum libris Actorum et Definitionum Capitularium reponetur.

37. Pro honesta Rmi Praesidis alimonia, statutum est ut unusquisque Conventus Congregationis ei annuam aequalemque solvat pensionem, a Capitulo Generali, pro rerum ac temporum circumstantiis, determinandam. Omnes expensas peculiare quas Rmus Praeses incurrerit pro bono alicuius Conventus, ab ipso Conventu statim ei persolventur.

38. Omnibus quae supra peractis, Secretarius leget Praeceptum pro Rmi Praesidis et aliorum electionibus indicendum, quod, a Praeside abeunte subscriptum, in promptu habebit (Formul., VII). Tunc, precibus de more recitatis, finiatur Sessio secunda.

IV — SESSIO TERTIA ET ULTIMA CAPITULI GENERALIS
DE ELECTIONE PRAESIDIS ET OFFICIALIUM CONGREGATIONIS ET DE AGENDIS IN FINE CAPITULI

39. Preces dicuntur ut in Caeremoniali.

40. Cum in secunda Sessione omnia negotia transacta fuerint, alio secedant Magister scholarum, Assessor et Inspector rei familiaris, quippe quos

omnes Suffragia ferre in muneribus mandandis non est ius (*Diu quidem*).

41. Suffragatores singuli, priusquam sua ferant suffragia, Deum testabuntur, tacta cruce, in manibus Rmi Praesidis, (qui et ipse Deum testabitur, tacta cruce, in manibus primi Assistentis,) quod nullam omnino cum ullo aut ullis pactioem eo vel fecere vel facient, ut ipse aut ipsi eligant seu eligantur, in hac aut in alia qualibet electione secutura (Formul, VIII).

42. Similiter omnes Deum testabuntur *de meliori eligendo* (*Ibid.* IX).

43. Tunc patres se accingent ad electionem, e gremio Capituli, trium scrutatorum qui suffragia scrutentur in omnibus electionibus huius Sessionis. Una duntaxat pro tribus eligendis fiet suffragatio; scrutatorum autem officio fungentur Praeses et prior Assistentis, cum Secretario Capituli. Electio pronunciabitur ut in Formulario, X.

44. Scrutatores electi solemniter in manibus Praesidis promittent se fideliter officio suo functuros, ut in Formulario, XI.

45. Modus tenendus in electionibus sequentibus, nisi aliter dictum sit, is erit. Imprimis Secretarius singulis suffragatoribus distribuet catalogos in quibus continentur nomina eorum qui in tali electione voce gaudent passiva; sed ab unoquoque catalogo nomen suffragantis prius delebit coram scrutatoribus.

46. Tres autem scrutatores omnium primi, post eos ceteri Capitulares suo quisque ordine, e catalogis supradictis seorsum excident nomen illius

quem iudicaverint digniorem, et in conspectu scrutatorum primam in urnam complicatum immittent; tum alteram in urnam inicient residua catalogorum, convoluta ne videantur: quae postea comburentur.

47. Tunc scrutatores intrabunt in conclave, et extracta suffragia primus scrutator recensebit una cum suis collegis, ut videat unusquisque an par sit numerus suffragiorum numero suffragantium: si maior minorve fuerit, iterum ferentur suffragia; sin aequalis, ad suffragiorum inspectionem illico procedent.

48. Si prima vice electio canonica non fit, primus scrutator, intuentibus ceteris, nomina eorum qui unum aut plura suffragia habuerint in catalogum, ordine iuxta numerum suffragiorum ab unoquoque adeptorum, referet (Formul., XII); at celabit suffragiorum numerum quem quisque fuerit adeptus.

49. Catalogo confecto et a tribus scrutatoribus subsignato, hi in aulam capitularem regredientur, ubi primus scrutator declarabit neminem suffragia necessaria obtinuisse. Deinde dictum catalogum alta voce leget coram omnibus, eundemque tradet Secretario, et denuo ferentur suffragia.

50. Si ne hac quidem vice canonica sit electio, primus scrutator in schedula describet nomina illorum tantummodo duorum qui singuli in secundo scrutinio plura quam ceterorum quivis unus suffragia fuerint consecuti. In aequalitate suffragiorum praeferantur habitu antiquiores. Pro his solis iam ferre poterunt suffragia Capitulares. Completo autem hoc tertio scrutinio, qui ex duobus numero

suffragiorum vicerit alterum, vel paribus suffragiis habitu antiquior, electus pronuntiabitur (Formul., XIII).

51. Electis scrutatoribus ut supra, Praeses culpam a se commissarum in Congregatione regenda veniam petet, flexis genibus in medio Capitulo, surgensque officium suum resignabit.

52. Hac resignatione accepta, mox creetur Praeses ex eorum numero qui monasteria regunt; vel quousque Congregatio quinque abbatiis coaluerit, ex eorum numero qui rexerint.

53. Si Praeses electus Capitulo Generali interest, sedem Praesidis statim assumet et officium. Si vero abest, Praeses quadriennii iam elapsi praesidebit usque ad finem Capituli.

54. Deinde Prior Cathedralis Neoportensis, cum sit Superior communis domus studiorum, sua se abdicabit dignitate, et novus eligitur ex iis quos Capitulum huius Ecclesiae praesentaverit.

55. Mox e Praefectis monasteriorum assumentur Assistentes. Novus Praeses eliget priorem Assistentem, qui eius vices, ubi opus fuerit, gerere debet. Postea, vel statim si novus Praeses ibi non sit, per suffragia reliquorum Capitularium eligitur alter Assistentens, qui quando vita aut gradu cesserit Praeses, in locum Praesidis succedat, potestatemque ad Capitulum Generale proximum administret (*Diu quidem*). Si Praelatus Assistentens ad officium Praesidis succedat, Capitulum Generale extraordinarium infra mensem vocare debet. In hoc Capitulo, post installationem, novus Praeses Praelatum Assistentem assumet et alter per suffragia reliquorum Capitularium eligitur.

56. Continuo, pro monasterii Praesidis Visitatione, eligentur duo Visitatores, ex Praelatis qui non sunt de regimine nec de Conventu ipsius Praesidis.

57. Sequitur electio Procuratoris in Curia e tribus quos novus Praeses designarit. Sin Praeses abfuerit, tum, dimisso Capitulo, Praesidem per literas docere licebit quem quisque maxime idoneum iudicat e tribus a Praeside designandis (*Diu quidem*, et Constit., Num. 154).

58. Tunc eligentur Magister scholarum, Assessor et Inspector pro quadriennio ineunte.

59. Magister novitiorum novitiatus communis eligetur ex illis quos Abbates regiminis designaverint (Constit., Num. 155). Praefectus studiorum communis collegii ad libitum Capituli eligetur. (*Ibid.*, Num. 69).

60. Deinde, pluralitate suffragiorum Capituli, eligentur duo librorum Censores ex toto corpore Congregationis.

61. Antequam Capitulum concludatur, Patres ad electiones Abbatum titularium procedere debent, et quidem suffragiis secretis, cum hae dignitates perpetuae sint. Abbates regiminis praesentabunt Capitulo nominationes quae forte a Conventuum Capitulis factae fuerint.

62. Transactis negotiis et omnibus electionibus finitis, eligentur duo Capitulares qui cum Praeside et Secretario Capituli libros capitulares conficiant. Eorum erit curare ut decreta, aliave a Capitulo Generali promulgata, ad notitiam fratrum omnium perveniant.

63. Deinde Praeses Capituli, vel eo iubente Secretarius, pronuntiabit sententiam, qua declarat Congregatio omnes illos Capitulares contra quos nulla Petitio seu Appellatio, in ullis Causis civilibus aut criminalibus, praesenti Capitulo Generali fuerit oblata, ab omni tali Petitione seu Appellatione postmodum offerenda (nisi ob delicta quae nondum in lucem venerint) absolutos esse, atque in posterum immunes fore et exemptos. Haec sententia subscribetur a Praeside et Secretario, et ab uno alterove Assistente, eiusque exemplar rite subscriptum dabitur unicuique pro sua securitate idem postulanti. Forma erit illa: *Declarat Congregatio*, etc., ut in Formulario, XIV.

64. His omnibus peractis, Praeses Capituli breviter gratias aget Deo, moxque Patribus, pro constante eorum concordia in toto Capituli processu; vel eos summatim admonebit pro rerum ac temporum ratione, atque exhortabitur ut communi bono Congregationis universae quam maxime studeant. Tum ipse gravi voce incipiet Canticum *Benedictus*, quem ceteri, stantes, prosequentur choris alternis. Recitato Cantico, in genua procumbent omnes praeter Rmum Praesidem, qui quidem, stans, dicet Versus et Orationes in Caeremoniali praescriptas. Denique Patres, flexis genibus, Praesidis Capituli accipient benedictionem; et postquam singuli manum eius fuerint osculati, Capitulum concludetur. In fine datur a Praeside Benedictio Papalis, ut in Caeremoniali.

CAPUT II

DE ELECTIONE ABBATIS

65. Intra mensem a vacatione Abbatiae, convocabit Praeses (Formul., XXII, XXIII) monachos conventus choro addictos et solemniter professos, qui omnes tenentur adesse (Constit., Num. 191, 192).

66. Absentes legitime impediti literas excusationis ad Praesidem mittant, simulque testentur si velint suffragium ferre annon. Qui velint suffragari, ante electionis diem Procuratoribus suis mandatum generale tradent (Formul., XXIV).

67. Pridie electionis, Praeses in aula capitulari preces recitabit, ut in Caeremoniali, sermonemque de re praesenti habebit. Postea Secretarium e gremio Capituli nominabit, et, assistentibus Priore et Subpriore monasterii, inspiciet et asservabit mandata Procuratorum, quorum nomina a Secretario in catalogo inscribentur.

68. Deinde, ostiario a Praeside nominato et Capite V Constitutionum, *De electione Abbatis*, a Secretario alta voce lecto, incipietur Tractatus, in quo, servato caritatis dictamine, habilitates, merita et qualitates candidatorum discutientur.

69. Primum fit nominatio candidatorum. Elector quisque, si vult, candidatorum nomina ponet in urnam. Praeses cum Secretario scrutinium faciet et candidatorum nomina in catalogum, ordine alphabetico, referri mandabit (Formul., XXV); non tamen dicet quoties quisque nominatus fuerit.

70. Statim ac in Tractatu candidati nomen a Praeside vocatur, ille sic vocatus a Capitulo recedet, cum autem ab ostiario revocatus fuerit, ad aulam redibit. Quaecumque alicuius momenti de aliquo in Tractatu dicta fuerint, secreta ab omnibus fidelissime servari debent.

71. Praesidis erit Tractatus durationem moderari.

72. Mane, electionis die, Missa sollemnis votiva de Spiritu Sancto a Priore Claustrali cantari debet.

73. Hora a Praeside assignata, omnes ad aulam capitularem procedent. Ad electionem praesto sint urnae duae coopertae, plurimi catalogi, typis impressi, qui omnium voce passiva gaudentium nomina exhibeant, sicut et catalogus candidatorum in Tractatu pridie confectus. Omnibus adunatis, preces dicentur, ut supra, Num. 67.

74. Singuli electores a Secretario nominatim vocati respondebunt: *Adsum*. Tunc Secretarius nomina absentium eorumque Procuratorum publicabit.

75. Praeses, stola e collo pendente, electoribus genuflexis dabit absolutionem ab omnibus censuris et irregularitatibus quae impedimentum canonicum ad electionem praesentem esse possint. Primo Cantor genuflexus dicit: *Confiteor*, etc.; et Praeses post *Misereatur* et *Indulgentiam*, subiungit: *Auctoritate*, etc., ut in Formulario, V.

76. Post absolutionem surgunt et stant omnes. Caeremoniarius interea defert Textum Evangeliorum, et tunc Praeses, detecto capite, tenens manus expansas super librum apertum, dicit alta voce: '*Ego*,' etc., ut in Formulario, XXVI.

77. Deinde accedunt electores quini vel seni, et ante Praesidem tenentem Textum apertum versus ad illos, testimonium faciunt de Pactionibus (Formul., VIII).

78. Tunc et illud iuramentum '*De eligendo meliori*,' a Clemente VIII praescriptum, omnes praestabunt (Formul., IX).

79. Postea Secretarius declarabit neminem eligi posse in Abbatem nisi nonum saltem annum ab habitu suscepto compleverit, et ab omni impedimento canonico immunis sit.

80. Immediate ante electionem, Conventuales ius habentes suffragii, ex toto suffragantium numero, iis exceptis quorum nomina in catalogo candidatorum pridie inscripta fuerint, eligent tres monachos graves qui Praesidi ad suffragia scrutanda adiungantur. Una duntaxat pro tribus eligendis fiet suffragatio; scrutatorum autem officio fungetur ipse Praeses, cum Secretario et primo monasterii Conciliario. Tres illi qui plura obtinuerint suffragia legitime electi declarabuntur coram omnibus (Formul., X); paribusque suffragiis praeferentur habitu antiquiores. At non prius suffragia scrutari debent electi quam in manibus Praesidis fidelitatem secretumque promiserint (Formul., XI).

81. Secretarius singulis suffragaturis singulos distribuet catalogos supradictos, eorum nempe omnium qui in hac electione voce gaudent passiva, deleto nomine suffragantis, et ferentur suffragia, ut supra, Cap I, Num. 46.

82. Tunc Praeses et scrutatores intrant in conclave et recensent suffragia. (Ibid., Num. 47).

83. Is Abbas erit qui suffragiorum partes duas e tribus tulerit. Si prima vice nemo tulerit, redigetur catalogus nominum eorum qui suffragia habuerint, ut in Formulario XXVII, ordine iuxta numerum suffragiorum ab unoquoque adeptorum, tacito adhuc numero ipso.

84. Catalogo confecto et a Praeside cum tribus scrutatoribus subsignato, in aulam Capitularem regredientur, legentque catalogum et denuo ferentur suffragia, ut supra, Cap. I, Num. 49.

85. Si hac secunda vice electio definitiva non sit, denuo referentur in catalogum nomina eorum qui suffragia habuerint, eodem modo quo supra, Num. 83. In tertia autem, quarta et quinta suffragatione numerus suffragiorum indicetur.

86. Si post quinque suffragationes nemo duas partes tulerit, tum inita sextum suffragatione is Abbas erit qui mediam partem tulit plus uno.

87. Si nec ita convenerit, rursus iniatur sextum suffragatio. Si nondum convenerit, Abbatem Praeses eliget.

88. Scheda electionis, a Praeside et a scrutatoribus subsignata, in aula capitulari coram electoribus, adstantibus scrutatoribus, distincte a Praeside legetur (Formul., XXVIII).

89. Electus, dato suo consensu, confirmationis schedulam humiliter a Praeside petit, ei in scriptis obedientiam secundum Constitutiones promittens (Formul., XXIX).

90. Praeses statim per literas sigillo suo roboratas eum Sedis Apostolicae nomine in officio Abbatis monasterii confirmabit (Formul., XXX).

CAPUT III

DE PRAESIDE CETERISQUE PRAELATIS REGIMINIS IN OFFICIO CONSTITUENDIS

91. Si novus Praeses Capitulo intersit, statim post ipsam Capituli conclusionem in officio constituetur a priore Assistente, convocatis omnibus monachis monasterii in locum convenientem.

92. Ibi legetur coram eis a dicto Assistente schedula electionis (et eiusdem confirmationis), sedente Electo, aliis vero reverenter stantibus. Postea in terram se statim prosternet Electus, et prior Assistens orabit eum ut se erigat: ille vero erectus in genua tantum, stantibus ceteris, breviter gratias aget Patribus Congregationis, quod de ipso, licet ad tantum onus sustinendum parum idoneo, tam bene existimaverint. Deinde officium coram omnibus suscipiet, enixe pro se postulans omnium preces ut digne id obire valeat. Tum accedens prior Assistens, Electum sublevabit a terra, eique paucis significabit quantam in eo spem reponat tota Congregatio; omnesque pro eius felici regimine Deum oraturos pollicebitur.

93. His dictis, Praeses electus, crucem tangens in manibus prioris Assistantis, sequenti se obstringet promisso de non perpetuando officio: '*Ego D. N. N., promitto,*' etc., ut in Formulario, XVI. Quod quidem promissum solum ab iis qui ad tempus eliguntur faciendum erit.

94. Post hoc promissum, aliud de non alienando

faciet sub forma: '*Ego D. N. N., electus,*' etc., (Formul., XVII).

95. Fidem suam profitebitur iuxta formam Pii Papae IV (vide Caeremoniale), et ad ecclesiam procedetur ut in Caeremoniali praescribitur.

96. Sin autem abfuerit Praeses, unus ex Assistentibus, aliusve Capitularis ab Assistente delegatus, ad monasterium aut locum in quo ille degit, vel quem ad hunc finem eligit, quam cito poterit proficiscetur, ubi cetera peragentur secundum ritum supra relatum.

97. Installatio ceterorum Praelatorum regiminis fiet a Rmo Praeside, eodem quo supra modo, mutatis mutandis.

98. Praelatus conventualis, intra mensem a sua installatione, omnes monasterii sui officiales instituet: nempe, Priorem, si sit Abbas; Subpriorem, si Prior; Cellarium, et ceteros. Curabit etiam ut unusquisque monachus, intra eundem mensem, ipsi rationem reddat omnium quae habuerit ad usum concessa.

99. Intra eundem quoque mensem, inspiciet Praelatus monasterii sui rationes, duosque monachos nominabit artis computandi peritos, qui una cum Cellario eius statum accurate describant.

CAPUT IV

DE VISITATIONE CONGREGATIONIS MONASTERIORUM SIVE ORDINARIA SIVE EXTRAORDINARIA

100. Cum Rmus Praeses ad monasterium

aliquod accedit, idem visitaturus, monasterii illius Praelatus aut Praesidens (cuius erit diem Visitationis conventualibus extra monasterium degentibus annuntiare iuxta formam in Formulario praescriptam, XIX), foras prodibit obviam ei, eumque deducet ad portam Ecclesiae cum caeremoniis in Caeremoniali statutis.

101. Quando libuerit Rmo Praesidi Visitationem inchoare, ad sonitum campanae, medius inter Praelatum a dextra et Secretarium a sinistra, Capitulum conventuale ingrediatur. Ibi, recitato Hymno, *Veni, Creator Spiritus*, cum versiculis precibusque quas in Caeremoniali reperies, oratione longiore astantibus exponet, quem in finem institutae fuerint Visitationes; eosque monebit, quam gravi piaculo futuri sint obnoxii, si quidquid in quovis corrigendum noverint aut ordinandum sibi non patefaciant; hortabitur demum ut quae declaranda iudicaverint humiliter ac modeste declarent, non ira, non odio, non vindictae cupiditate impulsis, sed studio religionis et disciplinae regularis promovendae.

102. Deinde Secretarius clare distincteque leget Caput IV secundae Partis Constitutionum, quod ad Visitationem eiusque formam pertinet. Hoc perlecto, Praeses statim dicet Praelato ut duos nominet Conventus sui monachos, intelligentes et probos, qui simul cum Secretario libros computatorum examinent, ex iisque omnia tam receptorum quam expensarum summaria colligant, in monasterii statu describenda. Alios duos nominabit ipse Praeses, qui omnium officinarum suppellectilem

pretiosum in catalogum referant. Huius catalogi, aequae ac status supradicti, duplex erit exemplar, a Praeside alterum, alterum a Praelato servandum.

103. Tum Praelatus monachum alium nominabit qui singulos advocet monachos cum ad suggestiones accusationesve secretas erit veniendum. Is mensam parabit, ad quam sedeat Praeses singulos auditurus; super eamque libros ponet Conciliorum monasterii ac Visitationum iam factarum, campanulam omniaque ad scribendum necessaria.

104. Deinde Secretarius Praeceptum Praesidis, quod in promptu habebit, alta voce leget coram omnibus; idemque ostio capituli statim affiget. Hoc Praeceptum formae erit sequentis: *Ego D. N. N. Abbas Praeses*, etc., ut in Formulario, XX. Tum denique Praeses horam indicet qua Praelatus et monachi, suggestionum aut accusationum secretarum causa, ipsum adire incipiant, suo quisque ordine.

105. Omnes monachi professi possunt ac debent admitti ad ea suggerenda quae e re monasterii fore existimaverint, sive in temporalibus sive in spiritualibus; at ii soli qui aliquo fuerint sacro Ordine initiati, admissi possunt ad alterum delicti accusandum.

106. Praecipua capita circa quae versari debet inquisitio sunt sequentia :

1. Disciplina regularis.
2. Oratio mentalis.
3. Frequentatio chori.
4. Missae celebratio.

5. Vita communis, tam in refectorio quam in aliis.
6. Modus agendi Superioris cum subditis.
7. Caritas inter fratres.
8. An lex de lectione S. Scripturae, vel casuum conscientiae rite observetur.
9. An exacte habeatur qualibet hebdomada culparum capitulum.
10. An adhibeatur cura pro infirmis fratribus debita.

107. Praeses suggestiones solus audiet in aliquo conclavi, ceteris autem Visitationis actibus intererit eius Secretarius.

108. Auditis singulorum suggestionibus, receptisque et examinatis eorum memorialibus, Praeses campanam pulsari iubebit. Hoc moniti signo, convenient omnes in Ecclesiam, cereos accensos gestantes, ad visitandum SS. Sacramenti Tabernaculum. (Vide Caeremoniale).

109. Deinde Praeses, Praelato Secretarioque et Cellerario comitatus, visitabit personaliter omnes monachorum cellas, omnesque monasterii officinas; atque inspiciet quid in illis desit aut supersit. Tum, hora per ipsum statuta, convocandum erit Concilium, in quo Acta Visitationis considerentur.

110. Precibus de more recitatis, Secretarius Praesidis, ante omnia leget statum monasterii a duobus Praelati deputatis subsignatum. Status iste, postquam in Concilio examinatus fuerit atque approbatus, subsignabitur a Praeside eiusque Secretario: describetur autem iuxta formam a Capitulo Generali approbatam.

111. Statu monasterii expedito, leget Secretarius catalogum supellectilis pretiosi a deputatis subscriptum, videbitque Praeses cum Praelato et Conciliariis quid de illis ordinandum sit; tum ipse catalogum subscribet cum Secretario.

112. Postea Secretarius ex memoriali sigillatim leget ea quae Praeses per decursum Visitationis suae notaverit, Concilio proponenda. Suam de singulis sententiam primum dicet Praelatus, deinde Concilarii, suo quisque ordine. Verum, habito Concilio, poterit Praeses decernere atque ordinare quod sibi oportere videbitur, etiamsi aliter atque ipse sentiant Praelatus et Concilarii; exceptis tamen praeceptis obedientiae et censuris quae totum Conventum ligaverint: nullum enim praeceptum generale obedientiae ponere, aut censuram generalem ferre poterit, sine consensu maioris partis Conciliariorum, nisi per ipsas Constitutiones id ei licebit.

113. Decisiones de singulis Concilio propositis scribet Secretarius in libro Visitationum; at praecedentis Visitationis Decreta atque Ordinationes erunt prius inspicienda: quae enim ex illis renovanda videbuntur, debent in praesenti Visitatione renovari. Exinde reliqua praecedentis Visitationis Decreta atque Ordinationes nulla erunt et irrita; omnia tamen in dicto Visitationum libro conscripta servabuntur in memoriam perpetuam, quia futuris temporibus poterunt suggerere quod expediat.

114. Dimisso Concilio, Praeses opportunum constituet tempus ad Capitulum denuo cogendum; quod ingredientur ipse, Praelatus et Secretarius,

eodem ordine quo primum sunt ingressi. Postquam recitatae fuerint preces, iam antea praescriptae (Num. 101), Praeses sermonem habebit de re praesenti.

115. Posthac Secretarius, capite detecto, sedens tamen suo in loco a sinistra Praesidis, leget praesentis Visitationis Decreta atque Ordinationes, quae in libro Visitationum accurate scripta habebit, et tam ab eodem Praeside quam a se ipso subsignata. Primum Visitationis Decretum seu Mandatum erit, ut unusquisque observet Legem Divinam, Canones Ecclesiae, Regulam Sancti Patris Benedicti, et Constitutiones nostras. Postremum erit, ut ob bonum fraternae caritatis et concordiae nemo alteri dicat, animo ipsum irritandi aut offendendi: *Tu hoc aut illud declarasti*; sive aliis eodem animo dicat: *Talis hoc aut illud declaravit*; et hoc quidem mandabitur sub poena culpae gravi assignata.

116. Visitationis Decretis atque Ordinationibus perlectis, Praeses monebit Conciliarios, ut si Praelatus aliquod Visitationis Decretum neglexerit, ad detrimentum disciplinae, eum in Concilio commoneant humiliter ac reverenter.

117. In ipsa Visitationis conclusione Praeses brevem habebit orationem, qua Praelatum et Conventum ob leges servatas laudet, ob neglectas reprehendat; vel, si opus fuerit, laudes misceat reprehensionibus, omnesque ad religiosam perfectionem adhortetur. Praelatus etiam, aut Praesidens monasterii, ei breviter ac reverenter, pro rerum circumstantiis, respondebit. Deinde, Decreto Summi Pontificis Pii Sexti a Secretario Praesidis perlecto,

Praeses Papalem Benedictionem largietur, ut in Caeremoniali, et sic terminatur Visitatio.

CAPUT V

DE VISITATIONE MISSIONUM

118. Quotiescunque Rmus Abbas adit residentiam alicuius monachi, ipsum visitaturus, monachus ille summo eum honore recipiat, primumque locum et praesidentiam ubique ei concedat.

119. Cum vero Abbas sit missionem aliquam visitaturus, Patribus proponat paucis verbis occasionem adventus, et ostendat quantopere conscientiae eorum incumbat ipsi manifestare, si quid in quoquam noverint corrigendum, vel quomodolibet ordinandum, sed cum magna tamen caritate, sine ulla odii, invidiae, aut vindictae perturbatione, solius Dei intuitu, et regularis observantiae custodiendae desiderio.

120. Omni igitur qua poterit simplicitate, sinceritate et caritate, suggerat monachus quislibet Abbati suo, quaecumque sive alterius confratris, sive communi bono utilia aut necessaria sibi videantur.

121. In proclamationibus aut suggestionibus recipiendis, formam eandem sequatur Abbas quae Capite praecedenti praescribitur in Visitatione Praesidis.

122. Peractis omnibus praedictis, rationem reddat monachus visitandus receptarum et expensarum, debitorum activorum et passivorum, et rerum ali-

arum, quas habeat ad usum suum. Tantum se recepisse fateatur, tantum expendisse, tantum residuum esse vel apud se, vel apud alios; tantum se debere, si debita aliqua contraxerit, et qua de causa, tantumque sibi deberi; fatebiturque se resignare in manus Abbatis sui omnia quae habet.

123. Examine deinde Abbas quemlibet monachum,

Si Officium Divinum statis horis et decenter recitet?

Si quotidie orationem mentalem exercent?

Si saepius legat, et pro viribus suis et loci opportunitate observet, quae habentur in Constitutionibus nostris?

Si id quod ei committitur ad pios usus distribuendum, cum omni integritate et fidelitate distribuat?

Si immisceat se ita negotiis saecularibus ut reddatur inutilis suae congregationi?

Si cum clero saeculari, aliisque omnibus cooperariis in vinea Domini, pacem et concordiam habere studeat?

Si pro intentione Abbatis, singulis mensibus, celebret unum Sacrum, et tria pro quolibet monacho defuncto eius Conventus, unumque pro singulis aliis fratribus et sororibus alibi mortuis?

124. His peractis, Abbas, brevi quodam sermone, vel commendabit debitam observantiam, vel exprobrabit negligentiam, vel utrumque dicendi genus miscebit, cum exhortatione ad regularem perfectionem, prout circumstantiae rerum postulaverint.

CAPUT VI

DE ANNUO TOTIUS CONVENTUS CAPITULO

125. Capitulum totius Conventus convocabit Abbas mense saltem ante diem coetui assignatum (Formul., XXXI).

126. Nemini licebit abesse sine licentia Abbatis; et iis qui administrationes habent hanc licentiam vix aut ne vix quidem concedat Abbas. Si quis impediatur sese scripto excuset.

127. Die coetus horam in aula capitulari adunandi Abbas publicabit.

128. Omnibus adunatis, preces longiores dicentur (vide Caeremoniale), et paternam exhortationem ad capitulares Abbas habebit, in qua expendet negotia quae in hoc Capitulo proponere desiderat. Enumerabit etiam causas pro quibus respective consensus vel consilium Capituli requiritur (Constitutiones, Num. 202, 119, 123).

129. Deinde Abbas omnes capitulares recensebit, tum praesentes tum etiam absentes. Qui non venerit ad Capitulum, vel legitime impeditus Abbati per literas non significaverit impedimentum, aut admonetur aut punietur.

130. Pro omnibus huius Capituli electionibus scrutatores sint tres Concilii seniores, qui Promissum facient, ut in Formulario, XI.

131. Suffragiis secretis, eligetur Secretarius Capituli; nam hucusque eius vices supplebit Secretarius Concilii Seniorum. Secretarius sic electus promittet

se fideliter officio suo functurum (Formul., XXXII).

132. Secretarius ad mensam in medio positam sedebit, et statim alta voce leget Acta Capituli praecedentis et Caput iii S. Regulae: *De adhibendis ad consilium fratribus*, cum Declaratione, Num. 2, et Capite IV Constitutionum.

x 133. Tunc ad negotia discutienda se accinget Capitulum. Suo quisque ordine sententias dicent capitulares de negotiis ab Abbate propositis, et nemo denuo loquatur sine Abbatis licentia.

x 134. Finitis negotiis computatores rationem reddent coram omnibus de statu monasterii ac missionum.

135. Tunc procedet Capitulum (si opus sit) ad electionem Delegati ad Capitulum Generale, factis a singulis suffragatoribus testimoniis de Pactionibus et *de meliore eligendo*, ut supra, Cap. I, Num. 41, 42.

136. Electio Delegati fiet iuxta modum supra praescriptum (Ibid., Num. 45-50), Abbate interim alio secedente.

137. Sequentur electiones, unica suffragatione pro unaquaque electione:

(a) Eorum qui, si ita placet patribus conventualibus, Capitulo Generali proponendi sunt ad dignitatem abbatialem titularem, iuxta Declarationes, Num. 123.

(b) Duorum censorum pro libellis et duorum examinatorum neo-confessorum ordinandorumque pro anno sequenti, vel pro quadriennio.

(c) Conciliariorum. Unica suffragatione Conciliarii eligentur. Hi censebuntur electi Conciliarii a Capitulo Conventuali qui prima suffragatione unum

supra mediam partem suffragiorum tulerint. Si in hac prima suffragatione numerus Conciliariorum non compleatur, tunc eodem modo ex iis qui in hac suffragatione nominati fuerint, ceteri eligantur.

138. Unum computatorem pro anno sequenti nominabit Abbas, alterum eliget Capitulum.

139. In fine Secretarius Acta leget, quae lecta et approbata subsignentur ab Abbate et Secretario: vel, si opus fuerit, aliquis deputabitur ad Acta cum Abbate et Secretario conficienda.

140. In Capituli conclusione Abbas brevem x | habebit sermonem de re praesenti, adhortans omnes ad religiosam perfectionem; et dictis precibus (vide Caeremoniale,) finem Capitulo ponet.

CAPUT VII

DE MODO AGENDI IN CONCILIO SENIORUM MONASTERII

141. Preces breviores a Praesidente dicantur (vide in Caeremoniali, et ad calcem huius voluminis), et novi Concilarii, si qui sint, promissum faciant (Formul., XXXIII).

142. Secretarium Concilii eligent Praelatus et Concilarii, ad maiorem suffragiorum numerum: in eo eligendo, suum quisque suffragium tacebit, quique fuerit electus promittet se fideliter officio suo functurum, ut in Formulario, XXXII.

143. Quoties habebitur Concilium, Secretarius in libro ad hoc peculiariter destinato scribet quis id coegerit, quinam ei interfuerint nominatim, quid in eo propositum fuerit, quis proposuerit,

quidque de re proposita fuerit statutum. Deinde, si quis a ceteris dissentiens, cupiat suam ea de re sententiam in librum referri, sententiam illam pariter scribet Secretarius. Hunc Concilii librum apud se servabit Praelatus: nec cuiquam nisi Conciliario eum praebebit legendum. Nihil ex eodem deleri poterit ab ullo praeterquam a Praeside in sua monasterii Visitatione, assentientibus Praelato et Conciliariis.

144. Acta ultimi Concilii a Secretario lecta et approbata subsignentur a Praelato atque a Secretario Concilii, appositis die, mense et anno. Tunc ad negotia tractanda se accingant, (Constitutiones, Caput VII).

145. Mandatur Praelato ne quid ante de rebus Concilio propositis statuatur quam uniuscuiusque audierit sententiam; quam quidem leniter audiet ac patienter: maioris tamen partis sententiam sequi non tenebitur, nisi quibus in rebus id postulant Constitutiones.

146. Quarto quoque anno, quindecim diebus antequam Capitulum Generale teneatur, Abbas et Conciliarii triplici suffragatione, tres patres, requisitas habentes dotes, nominabunt, quorum nomina in schedula descripta submittantur dicto Capitulo, pro electione ad officium Magistri novitiorum communis novitiatus.

147. In loco Conciliarii intra annum deficientis, quando de Conciliario a Conventu electo agitur, alius a Concilio sufficiatur; secus ab Abbate nominetur.

148. Finito Concilio preces breviores dicentur, ut supra, Num. 141.

CAPUT VIII

DE SIGILLIS CONGREGATIONIS

149. In Sigillo Rmi Praesidis incidentur imago et nomen Sancti Patris Benedicti, altera manu tenentis Baculum pastorem, altera Librum. Inscriptio, infra nomen, erit: SUPEREXALTAT MISERICORDIA IUDICIUM.

150. Congregatio suum quoque habebit Sigillum, cuius in medio insculpatur imago Sancti Patris Benedicti: a dextra, imago Sancti Augustini Archiepiscopi Cantuariensis; a sinistra, imago Sancti Benedicti Biscopi Abbatis, subscripto unicuique suo nomine.

151. Monasteria denique sua Sigilla habebunt. Monasterii cuiuslibet Sigillo insculpentur imago et nomen Sancti qui ab eodem monasterio fuerit in Patronum cooptatus. Ceterum in margine cuiusque Sigilli inerit Inscriptio peculiaris, qua Sigillum istud ab omni alio facile dignoscatur.

CAPUT IX

DE MODO AGENDI QUANDO NOVITIATUS ET PROFESSIO IN ALIENO MONASTERIO FIUNT

152. Si novitiatus annus in alieno monasterio ducendus sit, tunc Abbas, consensu Conciliariorum suorum in scriptis expresso, candidatum ad dictum

monasterium mittet, atque relationem duorum examinatorum (Formularium, XXXVI) a seipso subscriptum, Superiori huius monasterii simul mandabit una cum Forma Delegationis (Formul., XXXVII).

153. Superior autem Concilium suum convocabit, relationeque inspecta candidatum recipiet, tradetque Magistro novitiorum. Is candidatum spiritualibus exercitiis per octo dies praeparabit ad habitum digne suscipiendum. Candidatus interea confessione generali anteactam vitam cui voluerit e nostris sacerdoti approbato patefaciet. Octava die mane ad Sacram Synaxim religiose accedet; eodemque die post Vesperas, vel alia hora opportuna, induetur habitu monastico, servatis omnibus quae in Caeremoniali habentur praescripta.

154. Prope terminum cuiusque trimestris, scripto Magister de agendi ratione novitii Superiori referet, et Concilio domus probationis convocato discutietur de novitii perseverantia. Conclusiones Concilii, una cum Magistri sententia, ad Abbatem monasterii filiationis statim mittantur, et approbante huius monasterii Concilio novitius ad *Perseverantiam* admittetur in Capitulo. Idem post sextum nonumque mensem ab incepto novitiatu fiet.

155. Duobus mensibus ante Professionem, Superior domus probationis novitii voluntatem diligenter exploret, certiooremque se faciet illum status religiosi et regulae obligationes intelligere. Secreto tunc audiat Magistrum, ceteros novitios necnon omnes monasterii monachos, etiam conversos. Postea Concilium convocet, et cetera agantur ut in Declarationibus, Num. 107.

156. Tunc Superior domus probationis et sui Conciliarii vocationem et idoneitatem novitii ad statum monasticum serio expendant, et per secreta suffragia declarent an novitius ad professionem votorum simplicium tuto admitti possit.

157. Deinde relationem de his omnibus, cum Magistri sententia, scripto exaratam Superior propria manu subscribat, et ad Abbatem monasterii filiationis transmittat.

158. Significato ab Abbate Capituli totius Conventus consensu, et expleto novitiatus anno, Superior domus novitiatus, ut Abbatis delegatus, ad novitii professionem procedet.

On the 20th of June 1871, the
 Council of the University of
 Cambridge, in its meeting held at
 the Senate House, resolved to
 send a deputation to the
 University of Bonn, to
 receive the Honorary Degree
 of Doctor of Laws, in
 recognition of the services
 rendered by the late
 Sir John Lubbock, Bart.,
 to the University of
 Cambridge, and to the
 cause of Science and
 Literature generally.

FORMULARIUM

AD QUOD IDENTIDEM REMITTUNT

CONSTITUTIONES ET DIRECTORIUM

FORNIELLARIUM

AD QUID MEDICINAE PRACTICAE

CONSTITUTIONES ET DIRECTORUM

FORMULARIUM

Nota.—Quoties promissum aliquod a pluribus eodem tempore erit faciendum, eorum primus illud pronuntiabit alta voce; tum ceteri dicent: IDEM VEL EADEM PROMITTO; et tangent Crucem.

I

Forma qua Praeses Capitulares ad Capitulum Generale convocat.

Nos D. N. N. Abbas Praeses Congregationis Angliae Ordinis Sancti Benedicti, secundum Jus et Constitutiones nostras statuimus et decernimus ut Capitulum Generale ordinarium Congregationis nostrae, adiuvante Deo, celebretur hoc anno in Monasterio nostro S. apud Dioecesis in Anglia, die mensis ; atque ut post Missam solemnem prima Sessio inchoetur hora .

Omnes et singuli dictae Congregationis Capitulares et ceteri qui secundum Constitutiones nostras interesse debent, huic Capitulo intererunt, nisi canonica vel legitima causa eos excuset.

In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo munitas expediri mandavimus.

Datum in Monasterio S. apud die mensis anno .

D. N. N. Abbas Praeses Cong. Angliae

De mandato RR. D. Praesidis,

L. † S.

D. N. N. Secretarius.

II

Forma Instrumenti procuratorii, quo Praelatus absens Monacho cuius potestatem dat suas gerendi vices in Capitulo Generali.

Notum sit universis per praesentes, quod ego D. N. N. Abbas Monasterii S. apud senio *vel* morbo, *etc.*, legitime impeditus quominus ipse Capitulo nostro Generali, in Monasterio S. die mensis anno celebrando, valeam personaliter interesse; virtute Constitutionum nostrarum, dilectum in Christo Fratrem D. N. N. facio et constituo, per hasce literas, Procuratorem meum legitimum, cui do potestatem pro me et nomine meo comparandi in dicto Capitulo Generali, ibique testandi causam quam affero in excusationem absentiae meae esse veram et iustam; atque insuper non solum de quibuscumque rebus et negotiis tractandi cum iis qui dicto Capitulo Generali intersunt aut intererunt, sed etiam illis assentiendi omnibus quae in eodem fuerint utiliter decreta aut decernenda; et denique ea omnia agendi quae ego ipse, si adessem, agere secundum nostras Constitutiones possem ac deberem: promittoque et spondeo me ratum acceptumque habiturum quidquid hic meus Procurator in omnibus supradictis egerit. In quorum fidem praesentibus nomen meum apposui cum N. N. et N. N. testibus infrascriptis.

Datum N. die mensis anno .

N. N. }
N. N. } Testes.

D. N. N.

(170)

III

Forma Excusationis a Capitulo Generali pro his qui Procuratorem nominare non possunt.

Ego D. N. N. (*hic indicetur Officii titulus*) humillime declaro me legitimo impedimento esse detentum (*hic indicetur causa*) quominus Capitulo nostro Generali in Monasterio S. apud die mensis anni celebrando, personaliter valeam interesse. In cuius rei fidem praesentibus nomen meum apposui cum N. N. et N. N. testibus infrascriptis.

Datum apud die mensis anni .

N. N. } Testes. D. N. N. (titulus Officii).
N. N. }

IV

Forma Promissi quod, ipso Capituli Generalis initio, facere debent Capitulares omnes de secreto servando.

Ego D. N. N. promitto coram Deo, quod secretum fideliter servabo in illis omnibus quae, maiore suffragiorum numero, singulis in sessionibus iudicabuntur digna secreto.

Et tanget Crucem.

V

Forma Absolutionis a Censuris, per Rmum Praesidem super Capitulares ad cautelam pronuntiandae.

Auctoritate Omnipotentis Dei et Domini Nostri Iesu Christi ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Domini nostri N. Papae mihi concessa,

Ego vos omnes et singulos hic congregatos, itemque omnes, durante hoc Capitulo Generali, nobiscum congregandos [ego te] absolvo ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis et Interdicti, et a quibusvis aliis Sententiis, Censuris et Poenis a Iure vel a Constitutione, vel ab homine, quavis de causa latis aut impositis; et cum iisdem [tecum] dispenso super quavis Irregularitate et Impedimento, quatenus possum, et vos et illi indigetis [et tu indiges] ad hoc tantum ut omnia quae in praesenti Capitulo agentur, rata ac firma sint.

In Nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

VI

Forma Promissi quod facere debet electus in Secretarium Capituli Generalis.

Ego D. N. N. promitto coram Deo quod officium Secretarii, ad quod electus sum, huic Capitulo Generali fideliter praestabo; quaeque in eodem Capitulo gesta fuerint secreta tenebo, dummodo, ad maiorem suffragiorum numerum, iudicentur digna secreto.

Et tanget Crucem.

VII

Forma Praecepti indicendi ante electiones in tertia Capituli Generalis sessione faciendas.

Nos, Abbas Praeses Congregationis Angliae Ordinis Sancti Benedicti, Reverendis Patribus hic nobiscum congregatis ad praesens Capitulum Generale

celebrandum singulis atque universis, cuiuscumque fuerint gradus, dignitatis aut conditionis, auctoritate ordinaria quam iure officii nostri habemus, quaque etiam in praesenti fungimur hac in parte, praecipimus in virtute Sanctae Obedientiae et sub poena culpae gravissimae assignata, ut si quis eorum sciat quemquam Capitularem qui vocem activam seu passivam habiturus est in electionibus in hoc Capitulo Generali faciendis, ullum iniisse contractum illicitum contra Ius aut Constitutiones nostras, ullumve contraxisse impedimentum a Iure aut a Constitutionibus nostris expressum, quominus eligere possit seu eligi, intra tres horas postquam hoc praeceptum in praesenti Capitulo Generali fuerit publicatum, Nos conveniat, Capitularem illum omniaque ad eius impedimentum spectantia declaraturus, ut legitimis canonicisque electionibus Praesidis aliorumque eligendorum mature provideamus. In quorum fidem hoc nostrum praeceptum tam a Nobis ipsis quam a Secretario Capituli subscriptum, officii nostri sigillo muniendum curavimus.

Datum N lectum in Capitulo Generali
 ibidem congregato, palamque affixum ; die
 mensis anno .

D. N. N. Abbas Praeses.

De mandato RR. D. Praesidis,

D. N. N. Secretarius Capituli.

L. † S.

VIII

Forma Testimonii quod de Pactionibus illicitis dicet unusquisque Electorum cum primum accedit, suffragium laturus pro electione Praesidis (vel Abbatis); quodque non pro hac solum electione valebit, sed pro omnibus etiam secuturis.

Ego D. N. N. testor Deum fidei et veritatis auctorem, quod nullam omnino cum ullo aut ullis Pactionem eo vel feci vel faciam ut ego eligam, seu eligar, ipse aut ipsi eligant seu eligantur, in hac electione (aut in alia qualibet secutura.)

Et tanget Crucem.

IX

Forma Iuramenti 'De meliori eligendo'.

Ego D. N. N. iuro, me secundum veritatem conscientiae meae probiorem ac magis idoneum me electurum in his electionibus (seu hac electione).

Et tanget Crucem.

X

Forma pronuntiandi electionem Scrutatorum.

Ego D. N. N., Abbas Praeses Congregationis Angliae, meo meorumque collegarum nomine in Scrutatores pro omnibus electionibus in hoc Capitulo Generali faciendis (vel pro praesenti electione), legitime et canonice electos pronuntio Reverendos Patres infra nominatos:

D. N. N. Scrutatorem primum;
 D. N. N. Scrutatorem secundum;
 D. N. N. Scrutatorem tertium.

In cuius rei fidem hanc Schedulam una cum meis
 collegis subscripsi, die mensis anno .

D. N. N. Abbas Praeses.

D. N. N.

D. N. N.

Nota.—Si quis Scrutator ad aliquod Officium eligatur, suam ipse
 electionem non subscribat; sed tantum ceteri Scrutatores,
 quorum primus eandem in Capitulo pronuntiabit.

XI

*Forma Promissi ab iis faciendi, qui, occurrente quavis
 electione, in Scrutatores assumpti fuerint.*

Ego D. N. N. promitto coram Deo, quod in
 electionibus huius Capituli Generalis (*seu* Conventualis, *vel* in praesenti electione), fideliter secundum
 Ius et Constitutiones nostras, Scrutatoris officio
 perfungar, ac secretum tenebo.

Et tanget Crucem.

XII

*Forma Catalogi in quo scribenda sunt nomina illorum
 qui in variis scrutiniis vocem passivam in electio-
 nibus Capituli Generalis habere inveniuntur.*

Ego D. N. N. Scrutator primus, nomine meo et
 duorum Scrutatorum mihi adiunctorum ad scruta-
 tanda suffragia in hac electione Praesidis nostrae
 Congregationis (*vel* N.), in hoc Capitulo Generali,

declaro hunc catalogum continere, ordine suffragiorum exarata, eorum nomina qui in primo scrutinio suffragia obtinuerunt: (*vel* eorum duorum nomina qui in secundo scrutinio plura suffragia obtinuerunt:)

videlicet D. N. N.
 D. N. N.
 D. N. N. etc., etc.

In cuius rei fidem hunc catalogum una cum collegis meis subscripsi, in hoc Monasterio S.
 apud die mensis anno .

D. N. N. Scrutator primus
 D. N. N. Scrutator secundus
 D. N. N. Scrutator tertius.

XIII

Forma Schedulae ex qua pronuntiandae sunt electiones.

Ego D. N. N. Scrutator primus, meo meorumque collegarum nomine, in N. legitime et canonice, secundum Ius et Constitutiones nostras, electum pronuntio R. d. D. N. N. : in cuius rei fidem hanc Schedulam una cum meis collegis subscripsi.

Datum in Abbatia S. apud Dioecesis
 die mensis anno .

D. N. N. Scrutator primus
 D. N. N. Scrutator secundus
 D. N. N. Scrutator tertius.

XIV

Forma Sententiae qua Capitulares declarantur absoluti, ne praeteritorum quorum in Capitulo Generali insimulati non fuerint, post illud dimissum insimulentur.

Declarat Congregatio omnes illos Capitulares, contra quos nulla Petitio seu Appellatio, in ullis causis civilibus aut criminalibus, praesenti Capitulo Generali fuerit oblata, ab omni tali Petitione seu Appellatione posthac offerenda (nisi ob delicta quae nondum in lucem venerint) absolutos esse, atque in posterum immunes fore et exemptos.

Datum N die mensis anno .

D. N. N. Praeses Capituli.

D. N. N. Secretarius Capituli.

Nota.—Haec absolutionis sententia per ipsum Praesidem, vel, eo iubente, per Secretarium Capituli pronuntianda est.

XV

Forma qua Rmus Praeses electionem Abbatis titularis confirmat.

Nos D. N. N., Abbas Praeses Congregationis Angliae Ordinis Sancti Benedicti, R. D. N. N. eiusdem Congregationis presbytero et monacho, electo in Abbatem Ecclesiae ac Monasterii S. N.

apud :

Salutem in Christo.

Abbatiarum iura, olim antiquae Congregationis Angliae, Ordinis nostri, a Summis Pontificibus concessa, in hac autem nostra Congregatione, per admirabilem Dei Providentiam specialemque San-

ctae Sedis Apostolicae gratiam renovata atque instaurata, imo etiam eidem denuo, si opus fuerit, concessa atque indulta, in suo vigore deinceps conservare volentes et perpetuare: visa atque approbata electione vestrae Personae in Abbatem Ecclesiae ac Monasterii S. N. de , legitime et canonice secundum Constitutiones nostras facta, acceptoque vestro obedientiae promisso, quod nobis, ut dictae nostrae Congregationis Praesidi scripto obtulistis; auctoritate eiusdem Sanctae Sedis Apostolicae itemque Capituli nostri Generalis, qua utraque fungimur hac in parte, Vos, Reverende Domine, in officio et dignitate Abbatis dictorum Ecclesiae ac Monasterii, per has literas nostras, libenter confirmavimus et confirmamus.

In quorum fidem has vobis Confirmationis literas, nostro nostrique Secretarii nomine subscriptas, atque officii nostri sigillo munitas, tradi mandavimus.

Datum in Abbatia S. de die
mensis anno .

D. N. N. Abbas Praeses.

De mandato RR. D. Praesidis,

L. † S.

D. N. N. Secretarius.

XVI

Forma Promissi quod faciet Rmus Praeses, quando in officio suo constituitur, de eodem officio non perpetuando, vel prorogando ultra quadriennium.

Ego D. N. N., electus Abbas Praeses Congregationis Angliae Nigrorum Monachorum Sancti

Benedicti promitto coram Deo, quod nullo unquam pacto officium meum perpetuare conabor, vel etiam prorogare ultra quadriennium, ad quod tantummodo sum electus; nec unquam illud accipiam quidem, nisi Congregatio nostra, in Capitulo Generali adunata, id mihi sua sponte detulerit secundum Constitutiones nostras: promitto insuper quod, quantum in me erit, nostras observabo Constitutiones, et si forte in eas peccavero, earum me poenis subiciam.

Et tanget Crucem.

XVII

Forma alterius Promissi, quod facient Rmus Praeses ceterique Praelati regiminis quando in suis constituuntur officiis, de non alienando.

Ego D. N. N., electus Abbas Praeses Congregationis Angliae, Ordinis Sancti Benedicti, (*vel N.*), promitto coram Deo, quod nullo unquam pacto a nostra Congregatione, contra Ius et Constitutiones nostras, alienabo, vel ad alium seu alios transferam, nec adiutor quidem auctore cuiquam ero ut alienet, vel ad alium seu alios transferat, ullum monasterium, residentiam, aut domum, vel notabilem partem bonorum immobilium, quae ad ullum monasterium, residentiam, aut domum pertinebunt.

Et tanget Crucem.

XVIII

FORMA EDICTI VISITATIONIS

Rmo D. N. N. Abbati Monasterii S.
apud , Salutem et Pacem.

Nos D. N. N. Abbas Praeses Congregationis
Angliae Nigrorum Monachorum Ordinis Sancti
Benedicti, adiuvante Deo, Monasterium S. apud
tibi commissum visitare intendimus die
mensis huius anni. Tibi autem iniungimus, ut
omnes monachos tibi subditos, etiam extra monaste-
rium degentes, de tempore Visitationis quamprimum
moneas. Si quis autem aliqua afferre voluerit, quae
Dei laudem, monasterii utilitatem vel animarum
salutem respiciant, eum hortamur in Domino ut
omnia Nobis tempore Visitationis patefaciat. Ut
nemo de Visitatione ignorantiam allegare valeat, hoc
nostrum Edictum in Capitulo promulgari iussimus,
et statim aulae capitularis ostio affigi.

Datum in Monasterio nostro S. apud
die mensis anno .

D. N. N. Abbas Praeses Cong. Angliae.

De mandato Rmi Praesidis,

L. † S.

D. N. N. Secretarius.

XIX

*Forma qua Abbas annuntiat diem Visitationis Mona-
sterii sui Conventualibus extra Monasterium degentibus.*

R. D. N. N. apud degenti.

Notum sit tibi, quod die mensis huius

anni, Rmus D. N. N., Congregationis nostrae Abbas Praeses, huius nostri Monasterii S. apud Visitationem ordinariam (*seu* extraordinariam) facere intendat, ideoque monacho cuique eiusdem nostri Monasterii durante Visitatione ad Visitatorem liber erit accessus.

Datum in nostro Monasterio S. apud
die mensis anno .

D. N. N. Abbas.

De mandato Rmi Abbatis,

D. N. N. Secretarius.

XX

Forma Praecepti quod Rmus Praeses in sua Visitatione indicet, ad religiosam paupertatem conservandam.

Nos D. N. N. Abbas Praeses Congregationis Angliae Ordinis Sancti Benedicti, zelantes religiosam paupertatem quam sancta nostra Regula et sacri Concilii Tridentini decreta tam stricte monachis iniungunt; Abbati (*seu* Priori) monachisque omnibus et singulis huius Monasterii S. , praecipimus sub poena culpae gravi debita, ut intra triginta horas postquam hoc nostrum Praeceptum fuerit in praesenti Capitulo publicatum, unusquisque eorum, nemine prorsus excepto, nobis tradat Memoriale scriptum, et nomine suo subsignatum, omnium omnino rerum quas habeat quoquo modo ad usum; vel quas aliis debeat ipse, aut ipsi debeant alii; vel quas ipse apud alios deposuerit, aut alii apud ipsum: ut, visis omnibus atque perpensis,

decernamus, quod voto statuique paupertatis conveniat. Secretario igitur nostro mandamus, ut hoc nostrum Praeceptum, a se prius in Capitulo Conventuali perlectum alta voce, ostio eiusdem capituli affigat; unde nemo, sub poena supradicta, illud auferat donec praesenti nostrae Visitationi finem imposuerimus. In quorum fidem hoc nostrum Praeceptum, a Nobis atque a nostro Secretario subscriptum, officii nostri sigillo muniri iussimus.

Datum in dicto nostro Monasterio S.
die mensis anno .

D. N. N. Abbas Praeses.

De mandato Rmi Praesidis,

L. † S.

D. N. N. Secretarius.

XXI

Forma Libelli supplicis offerendi quoties Praesidi vel Capitulo Generali deferatur querela.

Reverendissimo Domino N. N., Abbati Praesidi (*vel* Capitulo Generali) Congregationis Angliae Ordinis Sancti Benedicti.

Ego N. N., monachus, *aut* monialis, Monasterii S. Vobis cum omni humilitate expono:

Quod Rmus D. N. N. dicti Monasterii nostri Abbas, talibus me poenis lata sententia damnavit, eo quod talis delicti fuissem accusatus; *vel*, instructo processu super tali delicto, cuius fueram accusatus, sententiam ferre prorsus noluit, *aut* per octo dies moratus est; *vel* tale mihi damnum talemve iniuriam intulit: qua quidem agendi ratione, mihi et

nimiam in me severitatem adhibuisse videtur, et existimationem meam graviter offendisse.

Proinde ad Vos confugio, humiliter rogans et postulans; ut in hac mea causa statuere ac decernere dignemini, quod aequum iudicaveritis et Divino honori regularique disciplinae consentaneum.

In cuius rei fidem hunc scripsi libellum supplicem, et subscripsi, in dicto Monasterio S.
die mensis anno .

N. N.

XXII

Forma Citationis ad electionem Abbatis regiminis.

Omnibus monachis Monasterii S. apud
choro addictis et solemniter professis, salutem in
Domino.

Cum Monasterium S. apud Dioecesis
in Anglia (*vel* N.), per obitum (*vel* per legitime
factam et acceptam renuntiationem) Rmi D. N. N.
viduatum sit, atque iuxta Congregationis nostrae
Constitutiones providendum sit electione canonica
de novo Abbate: Nos D. N. N., Abbas Praeses Con-
gregationis Angliae Nigrorum Monachorum Sancti
Benedicti, omnes et singulos Conventuales supra-
dicti Monasterii qui suffragii iure secundum sacros
Canones et Constitutiones nostras gaudent, ex
officio et solemniter invitamus, vocamus et citamus
ad electionem novi Abbatis, in supradicto mona-
sterio faciendam, die mensis anno
hora . Tractatus vero pridie habebitur, hora .

In cuius rei fidem has literas sigillo nostro munitas, et propria manu subscriptas, in capitulo promulgari et statim aulae capitularis ostio affigi iussimus.

Datum in Monasterio S. apud die
mensis anno .

D. N.N. Abbas Praeses Cong. Angliae.

De mandato RR. D. Praesidis,

L. † S.

D. N. N. Secretarius.

XXIII

*Forma annuntiandi diem electionis Abbatis monasterii
Conventualibus extra monasterium degentibus.*

R. D. N. N. apud degenti.

Notum sit tibi, Reverende Pater, quod die
mensis huius anni electio novi Abbatis Mona-
sterii S. apud habebitur in supradicto
Monasterio, hora ante meridiem. Tractatus
vero habebitur pridie, hora post meridiem.
Hisce literis Rmus Abbas Praeses te ad electionem
vocat et citat. (Vide Constitutiones, Num. 192.)

Datum in Monasterio S. die mensis
anno .

De mandato RR. D. Praesidis,

D. N. N. Secretarius.

XXIV

*Forma Instrumenti quo elector legitime impeditus
Procuratori suo generale mandatum tradit.*

Ego D. N. N., monachus solemniter professus
Monasterii S. apud dioecesis in Anglia

Angliae Ordinis Sancti Benedicti, testem invoco Deum, omnis fidei Auctorem, me in hoc toto electionis negotio sine fraude et dolo bona fide versaturum. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Et tanget Librum.

XXVII

Forma Catalogi in quo scribenda sunt a Praeside et Scrutatoribus nomina illorum qui suffragia in electione Abbatis obtinuerunt antequam electio canonica habeatur.

Ego D. N. N. Abbas Praeses Congregationis Angliae Ordinis Sancti Benedicti, meo ac Scrutatorum nomine, declaro hunc catalogum continere, ordine suffragiorum, nomina eorum qui in primo (*vel* secundo, etc. *) scrutinio suffragia obtinuerunt;

videlicet D. N. N.

D. N. N.

D. N. N. etc.

In cuius rei fidem hunc catalogum una cum tribus Scrutatoribus subscripsi, in hoc monasterio
S. apud die mensis anno .

D. N. N. Abbas Praeses Cong. Angliae

D. N. N. Scrutator primus

D. N. N. Scrutator secundus

D. N. N. Scrutator tertius.

* In tertio scrutinio declaratur numerus suffragiorum.

XXVIII

*Forma Schedulae ex qua pronuntiandus est Electus in
Abbatem regiminis.*

Ego D. N. N. Abbas Praeses Congregationis
Angliae Ordinis Sancti Benedicti, meo ac Scruta-
torum nomine in Abbatem Monasterii S.
apud dioecesis in Anglia (*vel N*), legitime
et canonice secundum Jus et Constitutiones nostras
electum pronuntio Rmum D. N. N. In cuius rei
fidem hanc schedulam una cum Scrutatoribus sub-
scripsi.

Datum in supradicto monasterio die
mensis anno .

D. N. N. Abbas Praeses Cong. Angliae

D. N. N. Scrutator primus

D. N. N. Scrutator secundus

L. † S. D. N. N. Scrutator tertius.

XXIX

*Forma qua Abbates ceterique Praelati regiminis Rmo
Praesidi obedientiam promittunt.*

Ego D. N. N. electus Abbas (*seu Prior Cathedra-
lis, etc.*) Monasterii S. promitto coram Deo
quod vobis, Reverendissime Congregationis nostrae
Abbas Praeses, iisque qui legitime et canonice in
vestrum fuerint locum substituti, semper in omni-
bus secundum Regulam sancti Patris Benedicti
nostrasque Constitutiones, debitam obedientiam
reverentiamque praestabo. In cuius rei fidem hoc
meum obedientiae Promissum subscripsi, N.

die mensis anno .

D. N. N.

XXX

*Forma qua Rmus Praeses Abbatem aliumve
Praelatum regiminis in suo confirmat Officio.*

Nos D. N. N., Abbas Praeses Congregationis Angliae Ordinis Sancti Benedicti, visa electione Rmi D. N. N. in Abbatem (*seu* Priorem Cathedrallem, etc.) Monasterii Sancti N., legitime et canonice, secundum Constitutiones nostras, facta, acceptoque suo obedientiae promisso, quod ipse nobis scripto obtulit, eum in officio Abbatis (*seu* Prioris Cathedralis, etc.) dicti Monasterii, per hasce literas nostras (Sedis Apostolicae nomine*), confirmavimus et confirmamus, approbantes ratamque habentes eius electionem. Itaque praecipimus in virtute sanctae Obedientiae, et sub poena culpae gravissimae assignata, Priori (*vel* Subpriori), ac monachis supradicti Monasterii Sancti N. ut eundem Rmum D. N. N. recipiant, eique, secundum Constitutiones nostras, debitam praestent obedientiam ac reverentiam.

In quorum fidem has ei suae confirmationis literas, nostro nostrique Secretarii nomine subsignatas, atque officii nostri sigillo munitas, tradi mandavimus.

Datum N. die mensis anno .

D. N. N. Abbas Praeses.

De mandato RR. D. Praesidis,

L. † S.

D. N. N. Secretarius.

* Haec verba in Abbatis confirmatione tantum inseruntur,

XXXI

*Forma vocandi Conventuales extra monasterium
degentes ad Capitulum totius Conventus (vel ad
Concilium Seniorum.)*

R. Domine,
Hora die mensis huius anni
habebitur in Monasterio nostro S. apud ,
Capitulum totius Conventus (*vel* Concilium Senio-
rum pro negotiis infrascriptis).

De mandato RR. D. Abbatis,
D. N. N. Secretarius.

XXXII

*Forma Promissi quod faciet electus in Secretarium
Capituli (vel Concilii) Conventualis.*

Ego D. N. N. promitto coram Deo quod officio
Secretarii huius Capituli (*vel* Concilii) Conventualis
fideliter in omnibus perfungar, quemadmodum Ius
et Constitutiones nostrae praescribunt.

Et tanget Crucem.

XXXIII

*Forma Promissi quod facere debet primum-admissus
in Concilium Conventuale.*

Ego D. N. N. promitto coram Deo, quod de
omnibus quae in Concilio huius Monasterii pro-
ponentur discutienda, eam vere candideque dicam
sententiam quae mihi, conscientiae iudicio, et iusta
et utilis videbitur; promitto etiam quod in iis

secretum servabo, in quibus Superior, pro rerum pondere, illud necessario servandum iudicaverit.

Et tanget Crucem.

XXXIV

Forma qua Abbas regiminis nominat in Priorem titularem Ecclesiae antiquae Cathedralis.

Nos, D. N. N., Abbas Monasterii S. Congregationis Angliae Nigrorum Monachorum Sancti Benedicti, audito Concilio Seniorum Monasterii secundum praecepta Constitutionum nostrarum, te, R. D. N. N. in officio et dignitate Prioris Cathedralis Ecclesiae et Monasterii N. libenter nominamus: in cuius rei fidem has literas nostro Conciliique Secretarii nomine subscriptas, atque officii nostri sigillo munitas, tibi tradi mandavimus.

Datum N. die mensis anno .

D. N. N. Abbas de N.

De mandato RR. D. Abbatis,

L. † S.

D. N. N. Secretarius Concilii.

XXXV

Forma Iuramenti quod faciunt duo Seniores ab Abbate nominati ad examen Candidatorum pro receptione ad habitum (quorum alicui consanguinei vel affines esse non debent).

Ego D. N. N., ad sancta Dei Evangelia, promitto me, quacumque humana affectione postposita, fideliter hac in re munus executurum. Sic Deus me adiuvet, et haec sancta Evangelia.

Et tanget Librum.

XXXVI

*Forma Relationis a Candidatorum Examinatoribus
Abbati reddendae.*

Nota.—Haec relatio sequentia continere debet.—Quid sit candidati nomen; quae sit patria; quae sit aetas: an adhuc vivant parentes eius, vel alter eorum; quam artem vel professionem exercent, vel exercuerint; an adeo pauperes sint ut filii subsidio indigeant: qualis sit eius conditio et status; an habeat in saeculo media sufficientia sustentationis; an sit aere alieno gravatus; an et quam artem vel professionem exercent: an alicui religioso instituto nomen dederit, vel saltem ut novitius habitum illius vel Eremitarum induerit: utrum fuerit inquisitus, aliqua nota, infamia, irregularitate irretitus, vel gravi morbo affectus: an coactus vel seductus habitum religiosum petat; quonam spiritu, quo consilio, qua ratione ad statum religionis ducatur; utrum aliquam cognitionem habeat obligationis votorum: an notabili deformitate laborat; utrum aliquod signum valde infirmae valetudinis vel fatuitatis prae se ferat; quae sint eius mores, indoles et habitudo corporis: (*si uti clericus ingredi postulet*) an eam literarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam prae se ferat, ut minores et suis temporibus maiores Ordines, iuxta decreta S. Concilii Tridentini, suscipere valeat; (*si uti conversus*) an saltem praecipua doctrinae Christianae capita noverit: an quantum videre possint Examinatores, recte de Catholica doctrina prout conditio eius postulet, sentiat: an, facto scrutinio, candidatus sit admissus?

Examine peracto et Relatione completa, subscribetur ut infra.

Hanc Relationem examinis et scrutinii subsignamus, et etiam declaramus, iuxta tenorem Decreti 'Regulari Disciplinae,' nos omnia requisita a SS. Canonibus, Constitutionibus et Decretis Apostolicis, et in Regulis et Statutis Congregationis nostrae praescripta debito modo examinasse; et hanc Rela-

tionem examinis et scrutinii, et respectivam declarationem iureiurando confirmamus.

D. N. N. Examinator primus
D. N. N. Examinator alter.

Forma Iuramenti supradicti.

Ego D. N. N., ad sancta Dei Evangelia testor omnia requisita a Sacris Canonibus, Constitutionibus, et Decretis Apostolicis, et in Regulis et Statutis Congregationis nostrae praescripta de Candidato ad Sacrum habitum admittendo, debito modo completa fuisse, et fideliter exaratam esse examinis et scrutinii Relationem. Sic Deus me adiuvet, et haec Sancta Evangelia.

Et tanget Librum.

XXXVII

*Forma Delegationis ad receptionem postulantis ad
Habitum, vel novitii ad Professionem.*

Nos D. N. N., Abbas Monasterii S. apud
dioecesis in Anglia (*vel* N.), per has literas
praesentes, delegamus R. D. N. N. pro receptione
ad Habitum Fratris N. N. (*vel* ad Professionem
votorum simplicium, *aut* solemnium). In cuius
rei fidem has literas propria manu subscripsimus.

Datum in nostro Monasterio S. die
mensis anno

D. N. N.

EXCERPTA

EX 'BULLARIO'

CONGREGATIONIS NOSTRAE

EXCERPTA

DE PUBLIBUS

COMPLIMENTARIE NOTAE

EXCERPTA EX 'BULLARIO' CON- GREGATIONIS NOSTRAE

(Textus integri inveniuntur in volumine cui titulus: *Bullarium Monachorum Nigrorum S. Benedicti Congregationis Angliae*).

A. PRIVILEGIA CONGREGATIONIS

(Ex Bulla 'Plantata' Urbani P. P. VIII, die 12 Julii, 1633, data. Haec Bulla, exceptis nonnullis paragraphis quibus expresse derogatum est, approbata et confirmata est auctoritate Leonis P. P. XIII. Textus cum Originali collatus est).

Deinde Congregationi praedictae, eiusque praesidenti, monachis, monialibus, et utriusque sexus personis, quod omnibus et singulis immunitatibus, honoribus, privilegiis, gradibus, indultis, libertatibus, gratiis, iuribus, facultatibus, ac aliis praerogativis, tam Congregationi Cassinensi, et Hispaniae, ac veteri Anglicanae eiusdem Ordinis, seu eidem Ordini in Anglia, eiusque monasteriis, abbatibus, monachis et monialibus, quam singulorum Religiosorum Mendicantium Ordinibus, etiam Societati Iesu, et Ordinibus Militaribus, illorumque superioribus et religiosis, in genere vel specie, etsi cum hac vel simili clausula concessa fuerint, scilicet, ut *nemini communicentur*, nec sub regula de communicando in privilegiis contineantur, a Nobis vel praedecessoribus nostris, aut Sede praedicta, tam

principaliter quam extensive seu communicative concessis hactenus, vel in posterum concedendis; nedum ad instar, sed primarie, et aequè principaliter, tanquam si praedictae Congregationi Anglicanae, ac praesidenti, monachis, et monialibus praedictis, primo, directe et principaliter concessa, et hic de verbo ad verbum inserta et expressa fuissent; dummodo tamen non sint revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus, et Concilii Tridentini decretis, aliisque apostolicis constitutionibus, ac dicti Ordinis Sancti Benedicti regularibus institutis non adversentur; uti, frui, et gaudere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus: necnon eandem Congregationem, eiusque monachos, moniales, eorumque singulares personas, ab omni quorumcunque Ordinariorum, aut aliorum quorumlibet, vel alterius cuiuscunque personae, cuiuscunque dignitatis auctoritatis et officii, visitatione, auctoritate, superioritate, et quavis iurisdictione; non tamen in casibus, in quibus per decreta Concilii Tridentini Ordinariis locorum tribuitur iurisdictione etiam in exemptos; dicta auctoritate apostolica earundem tenore praesentium perpetuo eximimus, liberamus, et absolvimus; sed eandem Congregationem, eiusque monachos et personas sub nostra et successorum nostrorum, Romanorum Pontificum, et Sedis apostolicae immediata protectione recipimus; decernentes, quod nulli hominum, praeterquam Nobis et successoribus praedictis, contra aliquem de praedicta Congregatione, vel contra alios eorum causa, aliquam excom-

municationis, suspensionis vel interdicti sententiam ferre liceat: et si tulerint, tunc huiusmodi sententia eo ipso irrita nulliusque roboris et momenti sit, et esse censeatur. Necnon eiusdem Congregationis monachis et monialibus, ac omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui ecclesias monasteriorum Congregationis praedictae in singulis diebus festivis Sancti Benedicti, fundatoris Ordinis et legislatoris, et festo omnium Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti, die decima tertia Novembris quotannis celebrari solito, et Sancti Augustini Apostoli Angliae nuncupati, necnon titularium et dedicationis ecclesiarum earundem, vere poenitentes et confessi, ac sacra Communionem refecti, visitaverint, ac pias ad Deum preces pro sanctae matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, ac Christianorum Principum concordia, Romanique Pontificis salute effuderint, ut plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequantur, misericorditer in Domino, apostolica auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo concedimus et elargimur.

Unde et Nos, praedicti Pauli praedecessoris vestigiis inhaerentes, praedictae [*sc. antiquae Anglicanae*] Congregationis omnia et singula privilegia, gratias, indulta, facultates, ac praerogativas; omnia insuper iura, immunitates, honores, et libertates, quae antiquae Congregationi Anglicanae, seu Ordini Sancti Benedicti in Anglia, eiusque abbatibus, prioribus aliisque monachis, quovis modo competebant olim, dum ibidem religio Catholica

florebat, auctoritate apostolica et tenore praemissis perpetuo confirmamus et approbamus.

Et praeterea eisdem auctoritate et tenore pariter perpetuo concedimus et confirmamus huiusmodi Congregationi Angliae omnia et singula iura, omnemque titulum ad universa monasteria antiquae Congregationis Angliae, sive Ordinis Sancti Benedicti in Anglia, quae vel quem antiqua Congregatio vel Ordo Sancti Benedicti in Anglia antiquitus habebat, cum omnibus filiationibus et dependentiis suis; decernentes eadem monasteria non vacare, nec uti vacantia in titulum aut commendam obtineri vel impetrari posse aut debere; et quascunque impetrationes, perfectiones, commendas, aut quasvis alias provisiones, praeterquam in favorem dictae Congregationis factas, prout etiam uniones, aggregationes, et dismembrationes, ad favorem aliorum monasteriorum, locorum piorum, domorum regularium alterius Ordinis aut Congregationis quam praedictae Sancti Benedicti Angliae, a Nobis forsitan seu praedecessoribus nostris concessas, et successoribus nostris concedendas, nullas et invalidas, nulliusque roboris et momenti, ac praeter et contra intentionem nostram emanatas.

B. DEFINITIO DE NATURA FINE ET OPERIBUS CONGREGATIONIS

(Ex Literis Apostolicis 'Religiosus Ordo' Leonis P. P. XIII,
die 12 Novembris, 1890, data).

Iamvero apertissime patet Congregationem Anglo-Benedictinam suapte natura monasticam esse; eatenus autem missionalem, quia et aliis munerum sacrorum officiis et missionibus pariter dare operam consuevit: ex quo aequè patet debere Missiones Monasteriis, nequaquam haec illis, parere. Id quippe omnino exposcit ipsius ratio et causa Congregationis, concinente palam historia teste. Et ipsa enim, ut alius quivis religiosorum Ordo, duo quaedam, alterum ab altero distinctum tamquam fines, spectat et sequitur: primum, ut alumnos ad omnem animi sanctimoniam consiliorum evangelicorum ductu erudiat, operibus iis fungendis quae sibi ex suis legibus propria sunt et praecipua; proximum, ut alia accuret et peragat opera, ad quae actuosam suorum virtutem porrigere possit et velit. In eo igitur primo quum vis et natura Ordinis posita sit, inde profecto normae et leges, quibus ipse dirigatur, petendae: eisdem vero legibus cetera, quaecumque in proximo continentur, necesse est obsequantur et serviant, nequaquam contra, quod praepostere fuerit.—Itaque Anglo-Benedictinae

Congregationis vis et natura, quam esse usquequaque monasticam et regulae ipsae et constitutiones et annales declarant, hoc suo vult iure, ut qui monasteriis plena cum potestate praesint, iidem ipsam omnibus partibus, sive intra coenobiorum septa, sive extra, in varia munerum functione, pari cum potestate regant et moderentur.

Talis autem sociandae temperandaeque potestatis modus, ut Monasteriis Missiones pareant, etiam propter praeclaras opportunitates quae utramque in partem redundare possunt, optandus maxime est. Quod enim Monasteria, ut inter omnes constat, se minus prospere a legitima disciplina studiisque maioribus nunc habent, eius rei causa non in alumnos, quorum voluntas vel opera desideretur, at vero in rerum hominumque inopiam, et in laborum, quae inde consequitur, immoderationem procul dubio debet conferri: quibus incommodis remedium optimum suppetet, si ex eodem capite aequabilis providentiae ratio in commune manarit.—Similia adiumenta et fortasse maiora ad Missiones erunt profectura. Ut enim benevertant et fructus proferant vere salutare, opus est illis non ministerio tantum monachorum, sed multo magis exemplis eorum sanctissimis, quae mirifice possunt ad veritatem persuadendam, ad virtutem commendandam: et licet cultores tales evangelicae vineae, industrii probabilesque, non desint, eo tamen plures numerabuntur et plus auctoritate valebunt, quo Monasteriis praesidia institutionis accreverint, et lux

domesticae perfectionis praestiterit.—Edendis insuper scriptis quum campus Missionibus pateat copiae multiplicis, in quo Ordo Benedictinus per aetates omnes tanta cum gloria elaboravit, in eo ipso Familia Anglica, coniunctis animis et laboribus, doctrinarum studiis excitatis atque in melius proVectis, honeste poterit utiliterque certare: scripta enim eruditionis plena et litteratae gravitatis admodum in Anglia proficiunt, ubi intelligentis iudicii viris quaesita probantur, scriptoribus catholicis gratiam conciliant, reverentiam eliciunt erga Ecclesiam Romanam, ad eamque, quod fit persaepe, devios invitant.—Illa quoque laboriosa et magni momenti opera, quam imbuendae edocendaeque iuventuti in ludis litterariis et in ephebeis missionarii impendunt, ex arctiore cum Monasteriis necessitudine futurum profecto erit, ut perfectius quiddam contingat, proptereaque fiat et in existimatione amplior et civitati multis modis uberior.

C. IURA ET PRIVILEGIA ABBATiarUM NOSTRARUM

(Ex Literis Apostolicis 'Diu quidem' Leonis P. P. XIII, die 29 Junii, 1899, datis).

Demum, quo magis appareat voluntas ac benevolentia Nostra prope singularis erga Congregationem tanta meritorum praestantia ac tot virtutibus

nobilitatam, monasteriis Sancti Gregorii de Downside, Sancti Laurentii de Ampleforth, Sancti Edmundi Duacensis auctoritate Nostra apostolica Abbatialis dignitatis titulum assignamus, attribui-
mus, ita ut iuribus ac privilegiis utantur, fruantur,
quae lex ei titulo aut consuetudo coniunxit.

D. IUS ABBATUM REGIMINIS AD
USUM PONTIFICALIUM IN ECCLESIIS
FILIALIBUS

(Ex Rescripto S. Congr. SS. Rituum die 13 Junii, 1902, dato.)

II° Utrum cuivis Patri Abbati competat ius pontificalium in omnibus ecclesiis quibus praesunt terni, bini vel singuli Patres sub eius iurisdictione constituti, curam vero animarum exercentes?

Ad 2. Affirmative, dummodo agatur de ecclesiis propriis.

III° Utrum ad usum pontificalium talibus in ecclesiis sub cura Patrum Benedictinorum constitutis licite exercendum requiratur consensus Episcopi ordinarii?

Ad 3. Negative, si agatur de ecclesiis propriis uti supra.

(In Responso ad I^{mum} Dubium definiuntur 'ecclesiae propriae' tanquam 'filiales ecclesiae, quibus et ipse [Abbas] praesit, seu illius iurisdictioni subiectae.')

E. POTESTAS INSTITUENDI
 NOVITIATUS IN ABBATIIS

(Ex Responso S. Congregationis de Religiosis, diei 24 Nov.,
1908).

In singulis Abbatibus Congregationis Anglicae complete ordinatis, tirocinium proprium iuxta indolem Familiarum Benedictinarum instituatur, quando Rmus D. Abbas Praeses eiusdem Congregationis, de intelligentia Rmi Dni Abbatis Primatis, adiuncta sat matura esse iudicaverit.

F. SS. PATRIS LEONIS P. P. XIII
 RATIO AGENDI

(Ex Decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium,
diei 4 Julii, 1900: ut supra, p. 168).

Congregatio Anglicana Monachorum Nigrorum Ordinis S. Benedicti, de Ecclesia Catholica in Anglia praeclarissime merita, saepius Apostolicae Sedis benevolentiam ac sollicitudinem in se experta est. Nam, antiquioribus omissis, Paulus V, Urbanus VIII, Benedictus XIV, Pius IX, Pontifices Maximi, ad disciplinam monasticam tuendam et fidei propagationem, in quam praecipue illa Congregatio incumberebat, fovendam, opportunas leges statuerunt. Eae tamen, calamitate temporis id

exigente, nonnihil a pristinis Benedictini Ordinis consuetudinibus dissentire videbantur.

Nuper vero SSmus D. N. Leo Papa XIII, ratus advenisse diem quo Congregatio Anglo-Benedictina eam vitae disciplinam instauraret, quam et conditio temporum et nativa Ordinis instituta desiderant, derogando in hac parte praefatorum Pontificum Constitutionibus, per suas Literas Apostolicas *Religiosus Ordo*, datas die 12 Novembris 1890, et *Diu quidem*, datas die 29 Iunii 1899, iussit novum Constitutionum codicem confici.

INDEX RERUM

Numeri, 123, sunt paragraphorum DECLARATIONUM
et CONSTITUTIONUM; numeri in typis italicis, *123*,
sunt paragraphorum DIRECTORII; numeri uncis
inclusi (123) sunt paginarum.

TABULA IURISDICTIONUM

Autonomia Monasteriorum.

Cuique Monasterio sua iurisdictio atque administratio manent 137 (145).

In communibus vero domibus studiorum delectio professorum, dispositio horarum, et tota ratio studiorum penes Praesidem et Praelatos monasteriorum est, cooptato Magistro scholarum 69 (92).

Auctoritas Capituli Generalis.

Supremam auctoritatem habet ad Statuta et Definitiones generales pro tota Congregatione condenda 144 (147): ad appellationes contra sententiam Praesidis diiudicandas 172 (154).

Auctoritas Praesidis et Assistentium.

Intra quadriennium habent auctoritatem Capituli Generalis ad decretum condendum in casibus de quibus non satis providetur in Constitutionibus 176 (155): eligunt ad officia capitularia vacantia 182 (156). nonnulla negotia penes eos sunt (vide sub voc. Assistentes).

Auctoritas Praesidis.

Congregationem universam gubernat, ita tamen ut in nullo monasterio ullam iurisdictionem ad officium Abbatis pertinentem exercent, extra tempus Visitationis 163 (152).

Quoad missiones et domus dependentes, haud secus ac monasterium iurisdictioni ordinariae Abbatis subiciuntur, et

(Auctoritas Praesidis)

Praesidis potestas in eas eadem est ac in monasteria 168 (153).

Durante Visitatione totum regimen externum contentiosum conventus pertinet ad Visitatorem; iurisdictio autem voluntaria penes Abbatem manet 188 (158).

In Visitatione potest Visitator decernere atque ordinare quod bonae disciplinae prosit, etiamsi Abbas et Conciliarii aliter sentiant 190 (158).

Omnes personas Congregationis potest Praeses visitare 167 (152).

Visitatio monasteriorum tam ordinaria quam extraordinaria Praesidis est; etiam Visitatio extraordinaria missionum, quotiescumque censuerit oportere. Visitatio ordinaria domorum et missionum quae monasterio subiciuntur penes Abbatem est 167 (152), 189 (158).

Abbas est iudex ordinarius in causis monachorum suorum; Praeses vero habet potestatem audiendi et diiudicandi appellationes contra sententiam Abbatis 223, 224 (164).

INDEX

Abbas Praeses v. Praeses.

Abbas Primas 172 (154)

Abbas regiminis (*seu* Superior)

electio 191-196 (159): 65-82 (192)

per suos monachos 124 (128) 191

potestate perpetua 191

novem annos in habitu 79 (194)

Praesidi obedientiam promittet 89 (195)

confirmatio, 'Sedis Ap. nomine' 166 (152)

installatio 97 (197)

quae intra mensem facere debet 97, 98

benedictio, 'Auctoritate Ap.' 166 (152), 197 (159)

resignatio 166, 198 (160)

audiendus est antequam decretum novum Regiminis intra quadriennium executioni mandetur 176 (155)

iudex ordinarius est in causis monachorum suorum 223 (164)

missiones iurisdictioni ordinariae Abbatis subiciuntur 168 (153)

visitatio ordinaria missionum et domorum quae monasterio subiciuntur penes eum est 167 (152) 189 (158): 118-124 (203)

priorem prioratus dependentis instituit ad nutum 127 (132)
administratio temporalium monasterii sub moderamine Abbatis est 35 (61)

officiales monasterii ipse instituit 126 (131)

auditis Conciliariis in sequentibus casibus:—

Prior claustralis 127 (132) 213 (162)

Cellerarius 34 (61) 213

Oeconomus missionalis 213

consilium Conciliariorum exquirere tenetur etiam

in designatione vel remotione superioris missionis 213

si ipse diutius abesse voluerit 213

in nominatione Prioris Cathedralis antiquae 123 (126)

(255)

(Abbas regiminis)

Hisce in casibus, et in aliis in quibus consensus Concilii non requiritur, Abbas sententiam Conciliariorum haud sequi tenetur; ne vero temere negligat 213 (162) 145 (208)

De Capitulo Conventuali v. sub voc.

De Concilio Seniorum v. sub voc.

N. B. De negotiis pro quibus Abbas obtinere tenetur consensum vel Praesidis, vel Capituli Conventualis, vel Concilii Seniorum, v. TABULAM ad calcem huius articuli.

Quae Abbas (*seu* Superior) facere iubetur:—

de oratione mentali invigilare 19 (46)

de recessu annuali curare 19

de congruitate supellectilis cellarum curare 27 (50)

memorialia paupertatis ab omnibus requirere et legere 44 (65)

res pretiosas &c. non permittere 44

de infirmis curare et eos visitare 48 (71)

iuniores de lectione in refectorio interrogare 50 (74)

de cibis curare 51 (75)

capitulum culparum semel in hebdomada habere 61 (86)

confessariorum copiam providere 62 (87)

de confessione sacramentali hebdomadaria vigilare 62

studia maxima cura promovere 66 (91)

recreationem congruam constituere 77 (93)

licentiam generalem literas dandi et accipiendi ante 9 annos in habitu non dare 91 (104)

de congruitate vestimentorum curare 94 (107)

cellas, praesertim iuniorum, visitare 97 (107)

librum vestiarium habere 98 (108)

fratres laicos, nisi aliquam artem utilem habeant, non admittere 99 (110)

litteras novitiorum legere 105 (114)

collationem spiritualem semel in hebdomada habere 125 (128)

de lectione hebdomadaria S. Scripturae, et de collationibus theologicis curare 125

(Abbas regiminis)

- nemini, nisi Cellerario, permittere ut in circumiecta monasterio loca solus egrediatur 130 (133)
- impeditus Procuratorem ad Capitulum Gen. mittere 140 (146)
- decreta Capituli Generalis promulgare 159 (151)
- visitationem monasterii omnibus suis monachis annuntiare 187 (157)
- Capitulum Conventuale saltem quotannis convocare 200 (160)
- Concilium Seniorum singulis saltem mensibus cogere 210 (162)
- Licentia eius expresse requiritur—
- ut quis sibi poenitentias imponat 19 (46)
 - ut quis alterius conventualis cellam ingrediatur 26 (50)
 - ut Cellerarius aliquid momenti faciat 35 (61)
 - ut quis pecuniam retineat &c. 40 (65)
 - ut quis civilia negotia aliorum tractet 43 (65)
 - ut extra refectorium cibus sumatur 55 (78)
 - ut facultates ab Episcopo petantur 63 (87)
 - ut saeculares in interiora claustra introducantur 87 (102)
 - ut colloquium cum extraneis habeatur 87
 - ut quis hospitem in suam cellam introducat 88 (102)
 - ut literae accipiantur vel dentur 90 (103)
 - ut liber vel libellus typis mandetur 92 (104)
 - ut professus cum novitio loquatur aut ad novitium scribat: requiritur etiam permissio Magistri novitiorum 105 (114)
 - ut revertentes de itinere libellos seu folia retineant vel alteri dent 134 (136)
 - ut quis e monasterio exeat 135 (136)

TABULA

consensuum quos Abbas obtinere tenetur antequam nonnulla negotia transigat.

<i>Negotium</i>	<i>Consensus</i>
Abbatis titularis ad Cap. Gen. praesentatio	Cap. Convent. 123 (126)
Alienatio	Cap. Convent. 202 (160) Praeses 173 (154)
(Si magni momenti sit, Praeses sententiam Assistentium exquirere tenetur 175 (155))	
Anglia—ut quis extra Angliam ultra mensem degat	Praeses, instante Abbate, 169, (153)
Breviatio cursus studiorum vel temporis ante sacerdotium	Concil. Sen. 212 (162)
Breviatio iunioratus	Concil. Sen. 113 (117) Praeses 113
Contractus gravioris momenti	Cap. Convent. 202 (160)
Debitorum magni momenti contractio	Cap. Convent. 202
Festivitatum novarum introductio	Cap. Gen. 17 (45)
Gradus academici susceptio	Concil. Sen. 212 (162)
Horarii &c. dispositio	Concil. Sen. 18 (45) 54 (78) 65 (90)
Horarii divini Officii mutatio	Concil. Sen. 18 (45) Praeses 173 (154)
Hypotheca	Cap. Conv. 202 (160)
Iunior—ut a studiis ad annum amoveatur	Concil. Sen. 67 (91)
Iunior—ut in monasterio alienae Congregationis ob studia collocetur	Concil. Sen. 70 (92)
Liber—ut imprimi permittatur	Praeses 173 (154) et unus Censor 92 (104)

<i>Negotium</i>	<i>Consensus</i>
Lites graves et sumptuosae	Cap. Convent. 202 (160)
Locatio in longum tempus	Cap. Convent. 202
Missae in perpetuum acceptio	Concil. Sen. 212 (162)
